

Feb. 15
1912

225 En

J. B. PALMA

PRÆLECTIONUM HISTORIÆ ECCLESIASTICÆ

AD NOSTRA USQUE TEMPORA

CONTINUATIO,

EX RECENTIORIBUS, PROBATISSIMISQUE AUCTORIBUS,

AD USUM SEMINARIORUM, ACCURATE COLLECTA, REBUSQUE AD HISPANIA
PERTINENTIBUS ADDITA.

A DOCTORE

D. NICETO ALONSO PERUJO,

PRESBYTERO

IN SEMIN. LUCRONIENSI VICE-RECTORE,


ATQUE SAC. THEOLOGIÆ, HISTORIÆQUE ECC.

PROFESSORE.

SUPERIORUM PERMISSU.

LUCRONII.—1869.

Typis Faustini Menchaca.



L47-4554

J. B. PALMA

PRÆLECTIONUM HISTORIÆ ECCLESIASTICÆ

AD NOSTRA USQUE TEMPORA

CONTINUATIO,

EX RECENTIORIBUS, PROBATISSIMISQUE AUCTORIBUS,
AD USUM SEMINARIORUM, ACCURATE COLLECTA, REBUSQUE AD HISPANIAM
PERTINENTIBUS ADDITA.


A DOCTORE

D. NICETO ALONSO PERUJO,

PRESBYTERO

IN SEMIN. LUCRONIENSI VICE-RECTORE,
ATQUE SAC. THEOLOGIÆ, HISTORIÆQUE ECC. PROFESSORE.

El Autor



SUPERIORUM PERMISSU.

LUCRONII.—1869.

Typis Faustini Menchaca.

Es propiedad del autor.

Es propiedad del autor.

LICENCIA DEL ORDINARIO.

Secretaria de Cámara del Obispado de Calahorra y la Calzada. — Vista por S. E. I el Obispo mi señor la exposicion que V. le elevára en solicitud de la licencia necesaria para imprimir su obra de Historia eclesiástica, y vista tambien la censura favorable emitida por su comisionado al efecto, ha tenido á bien providenciar en los términos siguientes: — «Calahorra 22 de Junio de 1869. — Mediante haber sido examinada cuidadosamente, á virtud de nuestra comision, la obra que con el título de «*Joannis Baptiste Palma prælectionum Historiæ ecclesiastice ad nostra usque tempora continuatio*» trata de dar á luz el Dr. D. Niceto Alonso Perujo, Catedrático de Sagrada Teología y Vice-Rector de nuestro Seminario Conciliar de Logroño, y no tener cosa alguna opuesta á la fé, buenas costumbres, doctrinas de la Iglesia y opiniones de escritores católicos: considerandola por otra parte de suma utilidad

IV

para los escolares que hayan estudiado ó hayan de estudiar la Historia eclesiástica escrita por el P. Juan Bautista Palma adoptada de texto en casi todos los Seminarios de España, toda vez que esta no alcanza sino solamente hasta la mitad del siglo XVI; concedemos al autor de la *Continuacion*, Dr. D. Niceto Alonso Perujo, nuestra licencia en forma para que desde luego pueda darla á la estampa; y recomendamos *eficazmente* á nuestros amados seminaristas su adquisicion, á fin de que no carezcan de los conocimientos histórico-científicos que contiene.—Así lo acordó y firma S. E. I. el Obispo, mi señor, de que certifico.—Sebastian, Obispo de Calahorra y la Calzada.—Por mandado de S. E. I. el Obispo mi señor —Dr. D. Santiago Palacios y Cabello, Canónigo Secretario.»

Cuya providencia tengo la satisfaccion de trascibir á V. para los efectos convenientes.

Dios guarde á V. muchos años.—Calahorra 26 de Junio de 1869.—Licenciado, Santiago Bermejo, Secretario.

Sr. D. Niceto Alonso Perujo, Presbitero Vice-Rector del Seminario de Logroño.

EXMO. AC ILLMO. DNO. D. SEBASTIANO ARENZANA ET
MAGDALENO EPISCOPO GALAGURRITANO ET CALCEA-
TENSI, REGALIS ORDINIS ELISABETH CATHOLICÆ
MAGNO EQUITI, REGIO CONSILIARIO ET CONCIONATORI,
ETC. ETC.

Quod in votis semper habui, Illme, Dne. ut grati animi erga te specimen publice exhiberem, nunc, hoc opusculum tibi dicando, tandem assequor. In quo non solum debitum ante contractum, propter insignia beneficia, quibus me totum tibi devinxisti, aliquatenus persolvere possum; verum etiam plurimum lucri mihi simul accedit. Etenim si protectore omnes scriptores indigent, qui suo nomine tutata eorum opera decorare in litterarum orbem introducat, nullum alium aptiorem ego invenire possem praeter te, magnum litterarum patronum studiorumque zelatorem, qui nihil pro tuis clericis erudiendis unquam omissisti. Hoc sane a te fidenter sperandum erat, qui tota vita in litteris perdiscendis atque fovendis, ingenio, diligentia, atque fructu eximio claruisti, quique hanc ob causam, tum etiam ob pietatem, prudentiam, morumque suavitatem ad singularem Episcopatus honorem evectus fuisti; et meritó quidem, cum honor, virtutis præmium soleat appellari. Quapropter si illud est verum, quod princeps philosophorum Aristoteles sapienter dixit, honorem scilicet nihil esse aliud, quam signum opinionis, quæ de alicujus beneficentia habetur, te hunc libellum patrocinaturum, jure mihi est sperandum; si tamen juxta tuum honorem tua etiam beneficencia, quæ certe major est, ut experientia testatur, dimetiri debeat. Hoc igitur munusculum, quod profecto exiguum esse sentio, tamen libenter et

VI

omni animi studio oblatum, hilari vultu, Illme. Dne. accipe,
et si forte illud alicujus utilitatis pro tyronibus existimes, tua
auctoritate fulcire dignare.

Certè in ejus elucubratione nullam aliam habui, præter Ecclesiæ utilitatem et juvenum commodum, intentionem, quó isti, compendiosa saltem hujus ætatis historica notitia non carant; cum auctor, quo ad Historiam Ecclæ addiscendam in omnibus fere Seminariis candidati utuntur, J. B. Palma, morte præreptus, tantum ad concilium usque Tridentinum prælectio-nes suas protenderit. Quapropter hunc defectum ego, quá potui, supplere tentavi ad nostra usque tempora illas pertrahendo, non verum eó præsumptionis deveni, ut quod ipse interminatum reliquit, ego perficere jactanter cogitarem. Etenim unusquisque viressuas cognoscit, et ego quam longeab illius ingenio et eruditione absum, ingenuo fateor: sed tantum ne manca et imperfecta alumnorum institutio remaneat, hoc opus cincinnavi, ita ut meus labor non tam illius auctoris continuatio quam breve recentioris historiæ eclesiasticae compendium vocari debeat. Desideratur quidem pro Historia Ecclesiastica in Seminariis tradenda aliquis *ad hoc* conscriptus liber, qui non tantum factorum notitiam tradat, sed insuper eorum vindicationem, ubi opus fuerit, accurate et nervosè sumat, cum eodem modo sit necessarium ex veterum exemplis Ecclesiæ agendi rationem in diversis adjunctis discere, tum etiam illam ab hostiū inculpationibus defendere. Hunc vero, si Deus dabit, tuo patrocinio nixus, aliquando confidere intendo. Interim quod tibi nunc offero opus libenter admitte, cui spero te plurimum pro tua benignitate fauturum.

Tuus, Illme. Dne. obsequentissimus et fidissimus servitor presbiter. Seminario Lucroniensi Kal. Sept. 1869.

Dr. Nicetus Alonso et Perijo.

anno missus est ad ius missarum missione per ecclesiastica
hanc opus molli non gradusq; religiosum munera hanc
etiam regi conciliorum ab anno 1545 usque ad multorum
est in aliis nominis sicut etiam in tunc auctoritate saepe
supradictis alio? ni diffundit auctoritatem facilius illi si
cum missis illis illis sicut etiam auctoritate nulla
diffinitio nisi.

EX SÆCULO XVI.

(In primis magistrorum in apud et distinguitur
mitis missa missa dico, cum hoc omnino miserebitur
etiam omnia et expiacionem si missa ita vero mea
missa, missa dico, quod nescit ut credidit enim super
me missam.

CAPUT I.

De protestantismi propagatione.

Inter celebriora Ecclesiæ catholicæ facta, luculentioraque,
qua divinitus ipsa pollet, assistentiae et auctoritatis testimo-
nia, concilium Tridentinum merito præcipuum obtinere lo-
cum, nullus dubitat, qui de rebus in illo gestis notitiam
habeat. Etenim si ratio habeatur tum perturbatissimi tempora-
ris, quo illud celebratum est, tum hominum, quibus intere-
rat illud impedire vel retardare, conatum, tum principum
petulantiae, ambitionisque, diuturnæque Episcoporum a suis
diocessibus absentia, tum demum aliarum omnium cir-
cumstantiarum, quæ in ipsius historia celebrationis videri
posunt, mirandum sane erit, quomodo in fidei definitio-
nibus tanta doctrinae puritas, tanta in canonibus præciso
et claritas, et in decretis de reformatione tanta prudentia
sapienciaque conjungi possunt, ut omnes omnino errores
doctrinæ catholicæ aut disciplinæ quoquomodo adversantes
damnati sint.

Quamvis ad fidei definitiones attinet, ab omnibus ubique

catholicis hoc concilium admissum est, et tamquam norma credendorum unanimiter receptum; non idem vero evenit quantum ad ejus decreta de reformatione. Ipsa tamen accepta et publicata sunt in Lusitania primum, deinde in Italia, in Hispania et ditionibus subditis, in Sicilia, pluribusque aliis regionibus, excepta Gallia, ubi legalis decretorum promulgatio locum non habuit, attamen pleraque in conciliis provincialibus recepta et promulgata fuerunt. (4)

Videbatur quidem post ejus celebrationem omnino extinguidam esse gravissimam teterimamque a Luthero cæterisque novatoribus in Ecclesia factam scissionem, si bona fide in errore fuissent, cum ipsi continuò ad concilium ante appellarent. Certe nihil Patres Tridentini intentatum reliquerunt, ad fidem catholicam contra hæreticos propugnandum, ad errores convellendos, ad disciplinam in pristinum splendorem restituendam, ad pietatem mores christianorum emendandos, et generatim ad unitatem Ecclesie stabilendam. Nihil autem ex illius ætatis historia magis exploratum esse potest, quam ex hominum vitio, malitia, ambitione, passionibusque, sacri Concilii sapientissimas et saluberrimas dispositiones ad finem intentum perductas non esse.

Post indecoram pacem Augustanam a Carolo V Imp. cum protestantibus initam, quam isti veluti libertatis suæ columnam prædicant, in qua statutum est ut ipsi æque ac catholici plena religionis libertate gauderent, et æqualibus iuribus, bona ecclesiastica occupata refinerent, et ab Episcoporum jurisdictione essent immunes, longe lateque in dies

(4) Recolantur dicta a Palma cap. ultimo. Cf. etiam Card. Pallavicini Historia Conc. Tridentini, lib. 24 ubi de ejus acceptatione in diversis nationibus fuisse disserit.

nova religio propagata est. Ferdinandus I post fratri sui Caroli V abdicationem imperio potitus, ejusque successor Maximilianus II Lutheranismum tolerarunt, quorum principum indulgentia protestantes in sectam suam plurimos pertraxerunt. Quamvis autem Rodulphus II qui an. 1576 Maximiliano successit, novae religionis reformatæ progressus in Austria cohibere voluerit, conventus hæreticorum prohibendo, neminemque inter cives suscipi præcipiens, nisi perseverantiam in catholica religione promitteret, protestantismi propagationem impedire non potuit.

In Belgio etiam numerus protestantium continuo augebatur, etsi Philipus II, qui an. 1555 patri suo Carolo V in Hispania, Sicilia et Belgio successerat severissimas leges contra hæreticos promulgari jussit. Philipus ad tutandam religionem contra hæreticorum progressiones, provinciarum Belgicarum procurationem sorori suæ Margaritæ de Parma commisit, et novos episcopatus erexit; quod ægerrime tulerunt Guillielmus princeps de Orange, vir in religione quidem indifferens, sed qui supremum dominatum ambiebat, et comites de Egmont, Flandriæ prefectus, et de Hoorne. Illi plenisque ex ordine nobilium in partes suas pertractis, an 1565 sædus cum hæreticis adversus Philipum II sancierunt, Belgique ad rebellionem excitarunt. Hæretici maxime Calvinistæ in auxilium accurrentes in Flandria et Brabantia populum adversus religionem catholicam, quasi idololatricam, excitarunt, barbarica ferocia ecclesias et monasteria diripuerunt, altaria et imagines sacras destruxerunt, et sacros suos conventus in plures urbes introduxerunt. His violentiis catholici offensi a fædere recesserunt.

Verum Philipus II an. 1567 ducem de Alba cum magno exercitu ad illas provincias missit, ad cuius adventum prin-

ceps de Orange et reliqui multi, qui severam ejus indolem noverant, in Germaniam aufugerunt. Ipse rigore usus comites de Egmont et de Hoorne capite plecti jussit, rebelles usque in septentrionales provincias insecutus est, Harleumium quod erat præcipuum illorum propugnaculum, expugnavit et tribunal instituit rigidissimum, *consilium turbulentiarum* dictum, ad inquisitionem et punitionem hæreticorum. His omnibus graviter offensi Belgæ iterum insurrexerunt et principem de Orange proclamarunt, quo duce rebelles hæretici Hollandiam, Zelandiam et Gueldriam ab hispanico dominio abstraxerunt, suum imperium religionemque secundum Calvinii placita in iisdem instaurantes. Porro in quibus provinciis prævaluerunt catholicorum sacra perturbarunt, ecclesias deprædati sunt, monasteria everterunt pluresque monachos et sacerdotes suppliciis affecerunt. (1) Sicque quotidie difficultior erat reconciliatio, cum de religione simul et politica decertaretur.

Duce de Alba in Hispaniam a Philipo II revocato, Ludovicus Requesens novus gubernator aliquantum res catholiconrum erexit, sed vir ingenio et moderamine illustris anno 1576 mortuus est, cuius mors gravi damno hispanicæ dominacioni fuit. Nam Joannes de Austria Belgis infensus impedire non potuit, quominus sub Guillermo de Orange multæ provinciæ fædus inirent contra omne Hispanorum dominium, qua societate fundamentum reipublicæ Belgicæ fæderalis possumit est. Anno 1581 eadem provinciæ in comitiis Hagæ ce-

(1) Notissima est, inter cælera, historia 19 Martyrum Gorcomiensium, qui propter confessam constanter fidem de reali Christi præsentia in SS. Eucharist Sac. anno 1572 horrendis suppliciis necati fuerant.—Cf. Bolland, *Act. SS. Jul. t. II.*

lebratis, Hispaniae Regem omni jure in Belgium exutum declararunt, et post diuturnum bellum independentem rem-publicam constituerunt; sed reliquæ provinciæ meridiona-les ab hispanis reductæ in suo dominio et religione catholica permaneserunt. Guilielmus vero de Orange an 1582 dato decreto omnem cultum catholicum in Hollandia prohibuit.

Neque minus in aliis nationibus protestantismus percrebuerat. De ejus origine et propagatione in Anglia Palma per-tractat, (1) quomodo scilicet catholica religio eliminata fuit, et a principibus, præcipue Elisabetha, Henrici VIII ex Anna Bolena filia, proscripta. Hæc primo cultuum libertatem sub-ditis concessit, seipsam postea per regni Ordines supremum Ecclesiæ caput declarari fecit, Episcopos qui ei obedientiam jurare recusabant custodire tradidit et depositum, in illos ve-ro qui antiquæ religioni inhærebant, pænis severis, mune-rum ademptione, muletis, carceribus, exilio, cruciatibus animadvertisit, atque his modis maximam Anglorum partem ad *reformationem* ad egit. Cum hæc audivisset Pius V an. 1570 Elisabetham hereticam declaravit, omnique regni Anglicani jure privatam, subditos jurejurando solutos, et eos qui illius innovationibus adhærebant, anathematis sententia damnatos. Id Elisabethæ furorem in catholicos auxit, et supplicia con-tra ipsos solis tyrannorum persecutionibus auditæ, exerceri jussit. Eodem ferme tempore a vera fide etiam Scotia secidit, quæ jam ab an. 1527 aliquos apostatas numerabat. Nam hæ-reticorum machinationibus, Jacobus Hamilton Mariae Stuart, reginæ adhuc infantis, procurator, cedere munere suo coac-

(1) Seco. decimosexti capite XVI.—Cf. etiam Sanderus *De origine et progressu schismatis Anglicani*. Colon. 1628.

tus est 1554, ex quo tempore catholicos hæretici superantes, nova religio maxima incrementa cœpit. Anno 1560 regni Ordines confessionem fidei sibi a novatoribus oblatam approbarunt, religionis catholicae exercitium abrogarunt, et contra eos, qui cum Rom. Pont. communicarent, proscriptionem et exilium statuerunt. Maria Stuart post plurimas vicissitudines regno deposita, armis jura sua vindicare tentavit, sed superata anno 1568, confugit in Angliam, ubi sub Elisabetha cognata sua 18 annis in custodia detenta tandem 1587 variis criminibus eicalumniōse suppositis capite plexa fuit. Hæresis calvinianæ in Gallia progressus etiam Palma refert; in Suecia sub Gustavo Wasa catholicismus proscriptus est: quomodo vero post sœculi hujus dimidium in Polonia, Hungaria, Transilvania secte auctæ sint, breviter et sapienter, ut solet, Alzog in sua historia ecclesiastica manifestat. (1)

Verum quidem tam rapida Protestantismi propagatio nullo modo efficere potest, ut validissimum argumentum, ex celeri christiane religionis propagatione ad ejus divinitatem ostendendam desumptum, infirmetur, quasi nempe divina etiam virtute protestantismus tam celeriter creverit. Non enim in materiali tantum diffusione hujusmodi argumenti robur consistit; præterquam quod, si proprie cum cl. Peronne loqui velimus, cum Protestantismus non sit nisi negativus, nihil aliud significat ejus propagatio nisi magnam *defectionem*, non autem *diffusionem* proprie dictam.

Sed non mirum est novam religionem brevi tempore fuisse tantopere propagatam, si proprium character, circum-

(1) Palma, cap. XV—Alzog—Hist. Ecc. period. tert. §. CCCXXV et seq.

tantiæque peculiares epochæ illius considerentur. Etenim nemo est qui ignoret, animos jam a longo tempore, diversis concurrentibus causis, ad illam innovationem fuisse veluti preparatos atque dispositos. Morum licentia in clero et populo, animi adversus utramque potestatem excitati, frequentes abusus et disciplina collapsa efficiebant, ut morum reformationem ardenter desiderarent quicumque pii et docti; quare facillime evenit, ut homines superbi hoc specioso reformationis prætextu universam Ecclesiam perturbare possent.

Praeter has causas ex ipsius etiam protestantismi *natura*, ejus diffusio investigari valet. Talis enim est, quæ cupiditatibus humanis adulabatur, et libertatem ab iis quæ in religione catholica homini videntur duriora, spondebat, dum aliunde novis superstitionis sectariis privilegia et favores amplissimi concedebantur. Populi enim antea oppressi libenter jugum cuiusvis auctoritatis excusserunt, et novitatibus propri semper sunt; plures sacerdotes et monachi novæ doctrinæ adhesserunt, quæ cœlibatus et votorum abolitionem prædicabant, ita ut morum corruptio potius quam reformatio dici debeat. Plurimi enim vel potius omnes novatorum corriphe uxores duxerunt, etiam sanctimoniales, quare festive dicit Erasmus, illam magnam tragœdiam demum in comœdiam converti et cum matrimonio terminari. Quid autem dicimus de libertate peccandi omnibus concessa, dummodo fortiter crederent, de sola fide justificante, quæ de peccatis tranquillitatem, etiam flagitosissimis, trahebat, de confessionis et jejuniorum abolitione, ut alia præteream? Talis autem doctrina poteritne unquam verum JesuChristi Evangelium appellari?

Accessit alia præcipua causa, quæ sola per se sufficiens

fuisset, in principum avaritia et ambitione, qui ex una parte sperabant sese emancipare a supremo Imperatoris dominatu, ex altera expoliationi bonorum ecclesiasticorum adiutum apertum videbant, atque de facto iisdem potiti sunt. Certe vel ipse Hume aperte fatetur, «verum reformationis fundatum aliud non fuisse nisi cupiditatem possidendi argentum et alia altarium ornamenta» et generatim quascumque divitias ecclesiasticas. Hinc est ut principes omnem suam auctoritatem exercuerunt, ut ubique reformationem introducerent, eamque totis viribus foverunt. Hæreticis nimirum favorem, protectionem, et arma præstabant, catholicos vero conviciis, violentiis, suppliciis insectabantur. Hoc tam aper-te constat, ut vel ipse Jurien, Ecclesiæ catholiceæ infensis-simus hostis claré fateatur, *Indubium esse reformationem per principum potentiam factam fuisse.*» Denique juxta Frideri-cum Magnum, testem minime suspectum, protestantismus avaritiae in Germania, concupiscentiae in Anglia, novitatis in Gallia opus fuit.

Hæ veræ causæ fuerunt, cur tam facile potuit novatorum superstitionis propagari. Non video autem quid hoc habeat commune cum catholicæ religionis propagatione, ubique gravi-simis difficultatibus impeditæ, omnique tunc temporis receptæ doctrinæ, moribus, passionibus, præjudiciisque contrariæ, imo a principibus atrocissimis persecutionibus vexatae. Unde concludere necesse est, illius quidem propagationem divino prorsus consilio et virtuti, protestantismi vero effrenatæ licentiae et hominum improbitati tribui debere.

Atque hic obiter notandum est, quod proprium omnis hæ-resis est dividi et mutari, protestantismo accidisse. Cum tenim inter ipsos ab initio dissidia religiosa augerentur, in innumeræ prope sectas divisi sunt, quæ se invicem damna-

bant atque anathematizabant, maximaque cum vehementia bellum inter ipsos exarsit. Neque aliter ex eorum principio de privata S. Script. interpretatione evenire potest, quod omnem auctoritatem de medio tollit, sine qua vera fides esse non potest. Ex illo autem pessimo atque eversore principio sequitur, neminem protestantium jus habere alteri exprobandi propria sensa religiosa, ut impia et absurdia. Si autem protestantismus adeo divisus est, imo divisio ipsi intrinseca et essentialis est, hoc ipsum ineluctabile suppeditat ipsius falsitatis argumentum, juxta regulam cl. Bossuet, *Quod mutatur, veritas non est.*

Ex quo primum est inferre quam inepte et a rei veritate prorsus aliena ratione J. Villersius in suo *Essai sur la influence de la reformation de Luther*, aliique glorientur, maximum civilizationis progressum Lutheri reformationi tribui debeare. Etenim doctrina illa, quae falsitatis, intrinsecæ divisionis, atque immoralitatis aperte convincitur, non nisi societatis et veri progressus perniciem afferre potest. Ostendit autem noster cl. Balmes. (1) Protestantismum innumera gravissimaque mala Europæ universæ intulisse, omnem fidem ipsum destruere, intellectumque et mentem perverttere, hominesque deteriores efficere, ac civiles motus et rebelliones sovere: qui inter cætera, tom. IV cap. 65, documentis historicis demonstrat, Lutheri reformationem civilizationis Europæ homogenitatem atque unitatem impedisce. Qui vero præclarum citatum scriptorem semel legerit, statim convincentur, nullum majorem hostem, quam Protestantismum, recentiorem populorum progressum habuisse, et etiam nunc habere.

(1) *El protestantismo comparado con el catolicismo en sus relaciones con la civilización europea.*

CAPUT II.

De inquisitionis tribunali.

Cum de rebus ad Hispaniam pertinentibus præcipue pertractare in hoc Historiæ Eccleæ. supplemento nobis in animo sit, non possumus non de sacro Inquisitionis tribunali aliqua dicere, quo potissimum factum est, ut Protestantismi contagio, quæ omnes fere alias nationes infecit, in nostram Hispaniam penetrare non posset.

Innumeræ prope querelas, insectationes et convicia, S. inquisitionis prætextu, contra Ecclesiam catholicam Voltaire, Rousseau, cæterique hostes congesserunt. Ii omnes vel e magna inscitia vel e malevola mente S. Inquisitionis instituto ejusque scopo et rationi detraxerunt, legesque adversus hæreticos sanctas comdemnarunt. Quapropter vestigiis nostri immortalis Balmes, (1) et doctissimi Muzarelli insistentes, aliqua in ejus defensionem dicemus, licet aliquos fuisse ex parte privatorum abusus non possimus non confiteri. Verum immoderatae quandoque inquisitorum procedendi rationes, quas petulanter exaggerant, Ecclesiæ officere non possunt, nec dicto tribunali, siquidem ipsa de culpis aut abusibus ministrorum suorum respondere non debet.

Finis autem Inquisitionis fuit catholicæ fidei conservatio, inquirere scilicet in eos, qui fidei depositum corrumpunt, eosdem judicare, ab hæresi reducere et obstinatos condemn-

(1) Balmes, op. cit.—Muzarelli—*Disertacion sobre el tribunal de la Inquisition.*—legi potest in tom. IX Hist. Eccæ.—B. de Henrion, edit. Barcin. 1854.

nare, quemadmodum in omni societate contra prævaricatores agitur. Ipsa enim, juxta Fleuri, erat quoddam tribunal, seu jurisdictio Ecclesiastica in Italia, Hispania et Lusitania, aliisque nationibus, ad cognoscendum de criminibus hæresis, judaismi, mahometismi, magiæ, sodomiaæ, et poligamiæ. Sed hic accurate observandum est, numquam inquisitionem morte mulctasse, imo in neminem processise, nisi in eos qui sectarios facere curarent; præcipuum enim illius officium erat investigare, utrum vere aliquis hæreticus esset, quo casu sæcularibus potestatibus puniendus tradebatur.

Ab ipsis Ecclesiæ initiiis contra hæresum auctores eorumque asseclas exercitum est; ex quo tempore enim Imperatores, principes, populi catholicam fidem proffesi sunt, illi, utpote Ecclesiæ filii et protectores, leges penasque sanxerunt contra catholice doctrinæ corruptores et Ecclesiasticæ pacis perturbatores, tanto magis quod hi, sua in Ecclesiam rebellione, ipsius reipublicæ seu societatis tranquillitatem passim perturbarent. Media ætate societas ita erat comparata, ut qui religionis catholicæ capita violarent, in ipsam quoque societatem graviter delinquere reputarentur, ac ideo non ecclesiastica tantum sed civilis etiam potestas in eosdem animadverteret. De Innocentio III Palma agens opportune notat et documentis confirmat, universam illius ætatis jurisprudentiam penas corporales contra hæreticos sancire.

Documentis ab auctore ibi allatis sequentia adjungimus. Nimirum Sinodus Turonensis, 1165, episcoporum et sacerdotum vigiliam contra hæreticos excitavit, mandavitque ut deprehensi custodiæ traderentur et bonorum jactura mulctarentur; concilium Later. III præter has penas exiliū imposuit: Lucius III in conventu Veronæ habito consti-

tuit, ut Episcopi tum per se tum per alios boni testimonii viros et juramento obstrictos, in hæreticos inquirerent, et obstinatos relinquenter sacerdotali judicis arbitrio, pro gravitate facinoris puniendos; quod etiam Later. IV decrevit. Sinodus Tolosana an 1229 mandavit, ut episcopi in singulis parochiis sacerdotes deputarent, qui haereticos dominis locorum indi- carent, utque nullus dominus eos in suis terris toleraret; quæ decreta a comite Raimundo confirmata sunt. Gregorius IX an 1233 officium S. Inquisitionis demandavit PP. Prædictoribus, scripsitque ad Episcopos ut iis in isto officio opem et auxilium præstarent.

Talis quidem fuit perpetuus et constans de hac re Ecclesiæ sensus, ut ex patribus priorum sacerdotiorum deprehendi- tur. Ne longiores simus unum aut alterum afferemus, ut appareat, jam à primis temporibus hæreticorum corporalem punitionem admissam esse. Et in primis Stus Isidorus sic loquitur: (1) *Principes sæculi nonnunquam intra Ecclesiam potestatis adeptæ culmina tenent; ut qui intra Ecclesiam positi contra fidem et disciplinam Ecclesiæ agunt, rigore principum conterantur.* Julius vero Pontifex ad Eusebianos scribens, Alexandrum Alexandriae Episcopum laudat, quod arianos a sua diœcesi expulisset; Aiani, inquit, a beatæ memorię Alexandro, quondam Alexandriae episcopo, ob impietatem ejec- ti, non solum a singulis civitatibus expulsi sunt, sed et ab omni- bus pariter anathemate sunt damnati. (2) Tempore Sti Augustini Donatistæ jam puniebantur, qui sic tribunum Marce- llinum alloquitur: *Tantorum scelerum confessiones... virginum verberibus eruisti. Qui modus correctionis... sæpe etiam in*

(1) Citatus a Gratiano, cap. XX. quæst. 5. caus. 23.

(2) Julii I ep. ad Euseb. num. 5, apud Theodor lib. 1. Hist.

judicis solet ab Episcopis adhiberi. (1) Denique ducenti sexdecim Episcopi in conc. Rom. an. 503 de hac hæreticorum punitione, tamquam de re jam dudum statuta loquuntur: *Hi qui adversa eis (Episcopis) moluntur, sicut a sanctis patribus dudum statutum est, et hodie sinodali et apostolica auctoritate firmatur, penitus abjiciantur; et exilio, suis omnibus sublatis, tradantur.* (2) Ex quibus patet qualis Ecclesiæ praxis fuerit usque ad sæculum XIII.

Ex hoc autem tempore publica Inquisitionis tribunalia instituta sunt, a quibus iis, qui criminis convicti, convertebantur, pœnitentia præscribebatur, obstinati vero post judicium ecclesiasticum tradebantur curiæ sœculari, quæ de iisdem secundum leges decernebat. Et sic sacrae Inquisitionis tribunalia, utraque potestate ecclesiastica et civili cooperante, in Gallia primum, deinde in Italia, Hispania, Germania aliisque locis instituta sunt.

Verum in Hispania proprie inquisitio anno 1478 robur accepit. Per id temporis plurimum disciplina erat collapsa. «Invaserat, inquit Mariana, in sacerdotes Hispaniæ pudenda litterarum inscitia, usque eò ut pauci latine scirent, ventri servientes; avaritia rapaces in Ecclesiam Dei manus injecerat; emere sacerdotia olim simonia, tunc industria erat.» Magnam præterea cladem ecclesiastice rei inferebant Mauri; et etiam Judæi, per omnes ubique provincias diffussi et opibus potentissimi, religionis et patriæ securitati minitabantur. Hæretici denique et apostolæ in terris Maurorum et in regno Castellæ secure agebant. Sed iste rerum status sub principatu Ferdinandi et Isabellæ mutatus est. Anno etenim 1474

(1) S. Aug. epist. 159.

(2) Conc. Mansi, tom. VII col. 298.

post mortem Henrici, regnum Castellæ accepit Elisabeth ejus soror, quæ cum nupsisset Ferdinando regi Aragoniæ, utrumque regnum in unam monarchiam coaluit. Ii principes auctoritate Xisti IV pro universa Hispania s. Inquisitionis tribunal an 1478 formarunt, ita vero ut a solo rege dependeret, ipso summum inquisitorem eligente, qui ministros sibi subjectos ex regis assensu designaret. Hinc effectum est, ut morum corruptelæ fuerint excissæ, seditionum pericula amoata, plura hominum millia a judaismo, hæresi, vel apostasia ad christianam fidem conversa, et aliis Hispaniam desserentibus religio catholica solum in universo regno obtinuerit. Sub his etiam principibus Granata, Maurorum regia urbs, capta et imperium Mauricum hispanum omnino deletum est ann. 1492, quo etiam anno America discooperta fuit.

Philipus II inquisitionem ad maximum gradum potentiae et splendoris erexit, qua efficaciter contra judæos, mauros et lutheranos usus est, sub quo primus *autus fidei* celebratus est an. 1559. Plurimum etiam Philipo III inservit inquisitio ad moriscorum expulsionein, an 1609. Temporibus sequentibus adeo potens hoc tribunal evasit, utilld vel ipsi reges formidarent, nullumque obstaculum suæ actioni, eujuscumque generis esset, poterat opponi. Carolus II quedam privilegia limitavit Sto Officio, et principes subsequentes ejus potentiam aliquatenus minuerunt, sed nihilominus magna auctoritate pollebat, donec à Josepho Bonaparte et postea a *Comitiis gaditanis* 1813 abolitum est, plurimis Episcopis contra reclamantibus. Ferdinandus VII paulo post suum e Gallia regressum illud tribunal in pristinum statum restituit, sed demum anno 1820 totaliter cessavit, cum Riego insurrexit et Constitutionem proclamavit, quam ipse rex, licet invitatus jurare coactus est.

His leviter adumbratis, quæ aliunde notissima sunt, primum observare opportunum est, eos qui hoc Tribunal injustitiæ damnant, simul etiam damnare debere plurimos sanctissimos sapientissimosque viros, Pontifices, Reges, Magistratus, Episcopos, clerum universum, a quibus institutum, protectum et laudatum est; idque tanta sacerdorum intercedine, quod omnino absonum videtur. Etsi enim daremus aliquos abusus quandoque fuisse, nihilominus supponere omnes inquisitores per tot annos officii sui immemores fuisse aut justitiam contempsisse, prorsus incredibile est.

Nec magis crudelitatis accusatio valet, quasi nempe religio pacis et amoris numquam rigore uti possit aut debeat. Ut enim jam observatum est, severissimas pœnas contra haereticos eodem modo jurisprudentia civilis et ecclesiastica habebant, quin tamen hoc contrarium Evangelio aut Ecclesiæ sensui nec patres unquam nec concilia judicarent. Legenda est cl. Muzarelli de Inquisitione dissertatio, ubi pluribus ex. Ss. Augustino, Hieronimo, Gregorio Magno et aliis citatis testimonis id ipsum luculenter ostendit, neconon conciliorum auctoritate exemplisque ex historiæ ecclesiasticæ depromptis confirmat. Horrescunt sane inquisitionis inimici tetros carceres, pectines, ungulas et rogos, quibus miseri rei puniebantur, insurguntque in criminum confessiones plerumque metu, vi, exquissitisque tormentis extortas. Si autem pleraque horum, ad odium et indignationem in S. Officium concitandum, non sunt excogitata, saltem malæ fidei est, ea quæ longo temporis spatio evenerunt, conglobalim recensere; neque enim imaginationem seducere, sed intellectum convincere proprium historiæ munus esse debet. Argumenta vero *sensus* plerumque falsa, aut saltem exagerata sunt. Aliunde ex plurimorum hominum, in quos

Inquisitio processerat, asseveratione constat, postremis speciatim temporibus, tum judices, tum ministros et custodes cum ipsis humanissime et omni moderatione egisse, prout communis omnium mos erat.

Quamquam non video quid adversus Inquisitionem objiciatur, quod non eodem modo adversus quæcumque illius ætatis tribunalia, et omnes Europæ justicias dici non possit. Omnes enim per id temporis judices civiles et tribunalia sæcularia tormentis reos declarare cogebant, et crudelius quam ipsa Inquisitio in accusatos animadvertebant, cum hoc forma ordinaria juridici processus esset. Solam autem inquisitionem reprehendere ob id, quod omnium proprium erat, nec justum nec logicum est.

Quod vero de *actibus fidei* dictis, id est, publicis in hæreticos animadversionibus, declamatur, majorem vim non habet. Erant hi actus quædam delinquentium exhibitiones, quibus ipsi, sagis et cucullis infamibus induiti, per urbis loca frequentiora deferebantur, dum præco publice eorum sententiam condemnationis legebat, posteaque igni tradebantur, regibus, episcopis, et proceribus praesentibus. Jam vero hi actus ad salutarem terrorem improbis incutiendum opportunissimi, nec tan frequentes erant aut numerosi, ut inimici supponunt, nec sine justa causa exponebantur, nimirum cum ob damnatorum conditionem vel criminum gravitatem necessarii erant. Præterea sensus religiosus in illa epocha ferventior in tota Europa et præsertim nostra Hispania erat, adeoque quod nunc horrendum nobis et asperum videtur, illius ætatis hominibus convenientissimum et æquissimum videbatur; non possumus proinde ex nostris moribus omnino distinctis ab illis, de illa ætate judicare. Qui enim tunc in religionem aut fidem peccabant, universalem

execrationem incurabant, quapropter illos urere, imo atrociissimis suppliciis afficere, actus pietatis et justitiae reputabatur, nullusque de hoc, quasi de re nova aut inusitata, mirabatur; proprium siquidem character illius ætatis hoc erat. Alioquin, nisi ita esset, nullum est tribunal aut princeps adeo potens, ut contra omnem sui temporis conditionem, tendentiam et inclinationem, vivum hominem flammis tradere coram populo in spectaculum valeret.

Quod si talis erat temporum ratio, tantamque animorum perturbationem Lutherus suis novitatibus excitavit, profecto fatendum est rigore et severitate opus fuisse, nisi velimus Protestantismi tenebras in nostram Hispaniam ingressuras. Timebatur sane, et mérito quidem, a catholicis et piis viris, nullo alio modo Hispaniam ab infenissima hæresi præservari incolumem posse, nisi extraordinaria ratione et inusitatis mediis ejus principia impedirentur. Non solum autem unitatis catholicæ amor sed validissimæ politice rationes simul concurrebant, cum Hispania regnum noviter constitutum esset, quod ex diversis principatibus, diversis moribus, legibusque coalescebat. Hinc bello civili, factionibus et turbis scissa fuisse, eo tempore præcisè quo majori robore et unitate indigebat, ut suis in America, Africa et Europa negotiis simul attendere posset. Exinde factum est, ut dum reliquæ nationes sese invicem dilaniabant et ab unitate catholicæ deficiebant, sola Hispania ab illis calamitatibus immunis evaserit, et ad florentissimum statum pervenerit; imo causa Ecclesiæ catholicæ in Europa per Philipi II criminosam et accusatam Inquisitionem liberata est.

Demum, quod sedulo notandum est, eodem modo ac Inquisitio, protestantes, quos adversantes fidei suæ noverant, t'gui tradebant, et in Gallia, Anglia, aliisque locis, prius quam

in Hispania rogi incensi fuere. Si autem documenta historica evolvuntur, ex eis apparebit, longe plures victimas Elisabetham Angliae fecisse quam Hispana Inquisitio, ab ipso que Calvinus Servetum comburi jussum esse. Pessime quidem argueremus si ex his culpis alienis nostram causam vellemus vindicare, sed tamen ex illis deducimus, nihil aliud Inquisitionem fecisse, nisi quod temporum illorum adjuncta ferebant, quapropter tam acerbe reprehendi non potest, nec debet. (1)

Solet etiam objici odiosum hispanis et formidandum inquisitionis tribunal fuisse. Ex eo autem quod aliqui malevoli et improbi homines, qui nullo fræno aut auctorati subjici volunt, illud odio habuerint, non sequitur quod adversariorum objectio vim habeat. Semper enim qui male agunt, pœnam timent, et illis, a quibus puniri possunt, adversantur. Cæterum major pars libenter inquisitionem tolerabat; penes omnes maximo honori munus inquisitoris erat, et a viris omni ratione illustribus exercitum, imo desideratum et quæsitum, quæ omnia, si tam male tribunal audiret, inexplicabilia forent. Sed contra ab ipsis initii Inquisitionis, hac institutione, prudentissima regina Elisabeth populi mentem interpretata est; (2) Philipo V illam suppressore volenti Ludovicus XIV persuassit conservandam, tamquam medium opportunissimum pacis et tranquillitatis regni; cumque á

(1) Cf. Batmes, op. cit. cap. XXXVI et XXXVII, unde præcipua argumenta deduximus. Legatur etiam Joseph Clem. Carnicero, *La Inquisicion justamente restablecida, ó impugnacion de la obra de D. Juan Ant. Llorente*: Anales de la Inquisicion de España; y del manifesto de las Cortes de Cadiz. Madrid. 1846.

(2) Carnicero, op. cit. cap. 7. 8. et 9.

Carolo III minister Roda illius etiam suppressionem peteret, regem respondisse fertur: *Hispani eam volunt, mihi que plurimum prodest.*

Deberent autem adversarii, si justitiæ amatores videri vellet, simul cum malis ab inquisitione allatis, ejus etiam beneficia numerare. Profecto Joannes Villanius, qui partitatis traduci non poterit, aperte fatetur quantum inquisitione contulerit ad hæresum extirpationem, vel in principiis extinctionem, idque non solum in Hispania, sed etiam in Neapoli, Lombardia, Mediolanensi, aliisque regionibus; ut enim observat Muzarelli, duo nationes a protestantismi pestilentia præservatae sunt speciatim Hispania et Italia, ubi præcise S. Inquisitionis tribunal validius statutum erat, et formidandum. Ad hoc quidem aliquibus victimis opus erat, sed si hæc comparantur cum infinito pene hominum numero, qui a protestantismo misere perierunt, longe minores sunt. Anglia etenim sibi reicta, filiorum suorum cædibus afflita, usque nunc perseverat, sub reformationis perversissimo influxu; Hollandia sanguine saturata, Germania et Gallia post diuturna bella et calamitates nondum potuerunt, duorum sæculorum spatio, acceptas ab hæresibus clades reparare.

Præter hoc moralitatis custos et fidei clavis a quoddam scriptore inquisitio vocatur, quia non solum de fide sed etiam de bonis moribus curam habebat, libros perditos et viru refertos igni tradebat, maleficos et sagas, qui vulgi superstitionibus abutebantur, purgabat, blasphemos, sacrilegos et adulteros insectabatur, omnibusque modis, aperente laude dignis, fidei et morum depositum integrum servari satagebat.

Verum licet ista vera non essent, nihil tamen adversarij

proficerent, nisi probarent omnes inquisitionis abusus et inordinationes ab ipsa institutione manasse, quod numquam efficient.

Et quia jam generalibus rationibus pro S. Inquisitione aliqua diximus, præstat etiam breviter quasdam peculiares accusationes dissipare. Inter celebriores vero causas, ob quas mórdice de Inquisitione detrahitur, ipsaque Ecclesia insimulatur, quasi scientiarum naturalium progressui adversaretur, celebris Galilæi processus præcipuum obtinet locum. Erat is celebris matheseos et phisicæ professor, qui magno applausu prædictas scientias in urbe patria Pisa, Venetiisque docuerat. Systematis Copernici de quotidiano et annuo terræ motu ardenter propugnator, illud novis rationibus stabilivit. Cum vero multi, inter quos cl. Scheiner Jesuita, magni nominis mathematicus, ei contradicerent, veriti ne theoria copernicana Ss. Scripturarum effatis adversaretur, Galilæus longius progressus sistema suum, veluti dogma in sacra scriptura fundatum, propugnavit, sensumque saecræ Scripturæ, cuius parum erat peritus, in illius favorem detorquebat. Quapropter S. inquisitionis officium Galilæum Röam vocavit, eique prohibuit, ne deinceps theoriā suā in quæstionem theologicam seu biblicam converteret, aut eam ut indubitatam Scripturæ veritatem defenderet, sed ut meram hypothesis astronomicam doceret. Paruit aliquando Galilæus, sed anno 1632, violata fide, publici juris fecit dialogos, *Delle due massime systeme del mondo*, in quibus rursum sistema suum, non ut meram hypothesis, sed ut veritatem e sacra Scriptura erutam defendit. Ideo ab inquisitionis Officio iterum Röam vocatus et custodiæ traditus est, e qua tamen anno sequenti, improbatis et retractatis suis dialogis, liber dimissus est.

In ejusmodi propterea rerum statu, ait Perrone, (1) prudenter se gessit Romana Inquisitio dum prohibuit Galilæi opere, donec res melius innotesceret, eique silentium indixit ad præcavendas turbas, quæ ex ejus occasione oriri facile potuissent. Qui ultra corticem non figit obtutus, Inquisitionis in hoc negotio agendi rationem carpit, ast qui penitus rem expendit eam potius commendat. Ad rectum certe referendum judicium non ætatem illam ad nos, sed nos ad ætatem illam transferre necesse est. Cæterum Galilæus in duplice cui obnoxius fuit examine, humanissime fuit exceptus; ex ipsisque et æqualium litteris constat, quanta moderatione Inquisitio erga eum usa sit. Verum ejus doctrina circa motum telluris uti hypothesis numquam damnata fuit, sed tantum ut thesis quam ipse nimis pertinaciter adstruebat, et sacra Scriptura firmabat. Quod vero ita se gesserit sacræ Inquisitionis tribunal, id causæ fuit, quia ratione habita status scientiæ phisicæ illius ætatis, fieri non poterat ut solverentur difficultates, quibus sistema Copernicanum urgebatur. Et sane, quamquam Galilæus id maxime efficere adniteretur, numquam tamen ab illis expedire se potuit. Nam non nisi post Galilæi obitum an. 1645, Torricelli invenit aeris pressionem in tellurem, adeoque fieri non poterat, ut ante id temporis solverentur difficultates, quæ adversus sistema copernicanum ex phisica petebantur; ex altera vero parte, cum indissolubiles difficultates opponerentur illi thesi, non poterat sensus obvius Scripturarum dimiti, quæ pluribus in locis asserere videbantur contrarium. Nefas siquidem est, nisi evidens ratio cogat, relinquere sensum littera-

(3) Perrone, *De locis theolog.* part. III, sect. I cap. II, prop. II.

lem Scripturæ ad ei substituendum metaphoricum et figuratum. Verum deinde opera Galilæi et Copernici, veritate discussa, ex nova Indicis editione expuncta sunt. Post litteras vero Galilæi repertas omnia evanuerunt, quæ ab incredulis circa hujus processum amplificata sunt, adeo ut ex ipsis protestantibus Mallet du Pan S. Inquisitionis Officium in hac causa à calumniis vindicaverit, edita dissertatione. (1)

De judæorum præterea et moriscorum ab Hispania expulsione, magnas querelas adversus Inquisitionem movent, qui de rebus politicis hujus nationis scripserunt, quasi nempe illius suasionibus reges ad talem legem ferendam adducti sint. Aceriter enim deplorant et magnis lamentantur clamoribus, agriculturæ, industriæ, commercii ruinam, regnique decadentiam ex illis decretis ortas esse, ex eo quod plura hominum millia ab Hispania ejectorum in alias nationes suam pecuniam, peritiam, laboremque contulerint.

Negare quidem non possumus hæc mala, licet non adeo exagerata, ut adversarii volunt, Hispaniae evenisse, verum examinare restat, utrum talia vere sint, ut aliis per illa evitatis malis præferri debuerint, aut cum illis comparari queant. Re autem mature, juxta sanioris critices principia, perpensa, hoc certò constat; scilicet cum adeo Hispaniae, pro constitutione sua politica, unitas religiosa, regnique tranquillitas necessariae essent, eligendum erat vel inter judæorum et moriscorum ejectionem, vel inter regni totius citalta pericula. Eó enim res erant adductæ, ut unum aut alterum evenire necessario deberet. Aliunde judæi usuris et exactionibus christianos vexabant, et a longo tempore po-

(1) Parisiis. 1784—Vid. etiam Bergier *Diction. Theolog. articulo, Sciences. necnon Henrion, lib. LXXIII.*

tentiores evaserant, meritoque timendum erat ne cum Mauris fedus adversus catholicos inirent, quam ob rem Hispanis infensi erant: praeterquamquod ipsis nefanda crimina, infanticidia, sacrilegia, venena, machinationes imputabantur. Quapropter an. 1492 Ferdinandus et Elisabeth e suis dominis iudeos decreverunt intra quatuor menses egredi, quorum plurimi Italiae benigne ab Alexandro VI Pont. excepti sunt. Ubi notandum est, hunc Pontificem, dum expulsos iudeos patrocinabatur, simul Reges, qui talia decreverant, illustri *catholicorum* titulo decorasse.

Idem de Mauris a Philipo III dimisis dici debet, quos jam Carolus V ob frequentes tumultus, rebellionesque ejicere tentavit. Gravissimae simul politicæ, religiosæque rationes adfuerunt, quo talis res ad effectum perduceretur, ut ex edicto expulsionis, die 9 Decembris an. 1609 Matriti dato, aperte constat. Etenim ut ibi legitur jamdudum sacra Inquisitio de eorum conversione frustra curaverat, pluresque punire debuerat; ingens periculum regno de eorum conservazione imminebat, cum haeretici, apostatae, læsæque majestatis divinæ et humanæ proditores convicti essent, qui legatos Constantinopolim ad Turcas, et Africam ad Mauros misserant, ut armis in ipsorum auxilium venirent, Hispaniæque potirentur; quos, si ita fecissent, ipsi, numero 450 mille hominum, totis viribus adjuvare parati erant. Illis præterea publica opinio adversa erat, omnibusque videbatur odiosum imprudensque illos diutius tolerare. Non video autem quænam validior ratio hac postrema afferri possit, in hoc tempore præsertim quo tantum, tantumque de publica opinione et voluntate populi buccinatur. Quæ cum ita sint, ut alia præteream, nisi unitas fidei, regnique securitas nihilo existimentur, non est cur tanta severitate Inquisitionis con-

silia, Regum catholicorum, et Philipi II agendi ratio impugnari debeant. (4)

Praestat nunc huic capiti verbis Postel finem imponere.
(2) Quamvis Inquisitio, inquit, graves aliquos abusus commisserit, quamvis agendi rationem adhibuerit, forsitan nostris temporibus improbandam, vel nimia severitate quandoque usa fuerit, nihilominus satendum est, insigne quoddam bonum Hispaniae contulisse, nimirum quod ab intestinis et religiosis bellis præservata sit immunis, quibus sæc. XVI Europa universa conturbata est. Si aliquando prava politica Inquisitionem suarum cupiditatum instrumentum fecit, nemo quidem hoc ut Ecclesia deploravit; Romanique Pontifices tantum abest ut Hispaniae Reges excitaverint ad amplificandam hujus potentissimi Tribunalis auctoritatem, quin imo potius ad mansuetudinem, moderationem, veniam et misericordiam continuò adhortarent. Quod autem ipsa, ut institutio humana, aliquando defecerit et erraverit, ob id ab Ecclesia solum reprehendi debet, minime vero ab impia et seditiosa turba, quæ illam calumniis atque dicteris insequitur, cum tamen certum sit, longe plures victimas istam paucis annis fecisse, quam Inquisitio quinque sæculorum spatio.

(1) *Carnicero*, loc. cit. Apendices n.º II y III.

(2) V Postel. *Historia de la Iglesia*, cap. IX. § 4. Barcelona 1865.

shunt inter omnes sicut et impudicitiaq; apponendis
ad omnes dignitate excede; minorans ut eam ducat
in eam innumeris metu; deindeq; quod est ad mali,
todes i. sib; omnes mat; in eam innumeris muni-

CAPUT III.

De Ordinibus religiosis.

Quantam Ecclesiæ cladem protestantismus intulerit, jam vidimus. Ex illis vero novitatibus, divino consilio factum est, ut Ecclesia uberrimos fructus percepere, quibus de magna illa defectione aliquantulum solaretur. Etenim boni omnes pique homines, de fidei morumque integritate solliciti, impense studuerunt, ut animarum saluti prospicerent, fidei depositum intemeratum servarent, moresque collapsos ad illam sanctitatem erigerent, qua primis Ecclesiæ sæculis christiani fulgebant. Plerumque enim evenit, ut dum error invadit atque fidem pervertere conatur, majores undequaque vires ad defensionem veritatis erumpant. Unde si opera catholicismi et Protestantismi in hoc sæculo inter se comparentur, quænam religio divina sit, quænam vero pestifera secta, facilissime deprehendi potest.

Porro inter cætera vitæ supernaturalis, qua Ecclesia vivit, indicia, nulla adeo insignia esse possunt, ut innumeri fere Ordines religiosi, sanctitatis, doctrinæ, scientiæque laude conspicui, qui eam hoc sæculo exornarunt. Quod in votis apud omnes erat, nimirum ut Ecclesiastica disciplina, vita-que religiosa jamdudum aliquanto collapsa reformaretur, tandem felici adeo successu in hoc sæculo evenit, ut nulla Ecclesiæ gloriior epocha, in ejus progressu asignari possit, sive ob multitudinem illustrium virorum, sive ob egregiam multorum sanctitatem, tum piorum Pontificum zelum, Epis-

coporumque præstantiam, qui ex quavis parte omni laude digni sunt, imo in sanctorum catalogo adscripti magna fidelium devotione venerantur. Hoc autem primum et maximum religiosorum Ordinum beneficium merito dici debet, cui nihil simile protestantismus opponere potest, qui nec unum quidem sanctum habet.

Non modica vero laus, ut non dicam præcipuam, ex hac parte nostræ Hispaniæ evenit, ubi Ordines religiosi vel reformati vel noviter erecti, in hoc tempore magna incrementa habuerunt. Imprimis *Societas Jesu*, quam recte vocaveris solidissimam columnam adversus quascumque novitates erectam, atque divina providentia adversus Protestantismum constitutam, dies veræ letitiae Ecclesiæ attulit, atque primum Hispaniæ decus est. Ejus auctor fuit S. Ignatius de Loyola, nobilis hispanus, qui primum militiam sequutus, vulneris in Pampelonaë obsidio acceperit occasione, piorum librorum lectioni deditus, vitam postea inivit omni virtutum genere præclararam. Anno 1534, studiis jam confessis, prima Societatis fundamenta jecit cum sex aliis juvenibus Parisiis degentibus, quorum numerus cum augeretur, ejus constitutiones Pauli III judicio subjecerunt, ut Societas inter probatos ab Ecclesia Ordines reciperetur. Cum eas Pontifex «ad majorem Dei gloriam, Ecclesiæ utilitatem, Fidei propagationem, haeresum expugnationem, pietatis instaurationem, «et christianæ juventutis institutionem procurandam aptissimas» reperisset, an. 1540 eorum congregationem sub nomine Societatis Jesu singulari Bulla approbavit et sub Apostolice Sedis presidio constituit. Hæc societas talia incrementa cepit, ut jam ante obitum suum S. Ignacius primus Præpositus generalis eam per omnes fere regiones Europæ, Asiæ et Americæ magno plausu viderit diffusam.

Ejus de Ecclesia præclara merita innumerabilia sunt; etenim ab initio et deinceps claruit viris pietate et eruditione conspicuis, quorum alii de fidei defensione et propagatione, alii de errorum et hæresum expugnatione, alii de christianæ juventutis institutione, alii de litterarum et scientiarum cultura, alii de pietatis et morum instauratione optime meruerunt. Quapropter Paulus III aliique Pontifices, ad tanta merita remuneranda et ad Jesuitarum labores conatusque promovendos, Societati Jesu privilegia amplissima, et nulli hactenus Ordini concessa, largiti sunt. Atque hic quidem opportuna sece offerebat occasio hanc societatem debitibus laudibus prosequendi, eamque ab inimicorum accusationibus et calumniis vindicandi; verum de his commodius agemus, cum de ejus suppressione a Clemente XIV facta disseramus. Interim significare sufficiat, nullam forte institutionem adeo de Ecclesia et societate fuisse benemeritam, nullam majores progressus in sanctitate, litterisque fecisse, nullamque demum, magis quam ipsa, zelo, laboribus, operibusque clariusse.

Eodem ferme tempore ordo FF. Minorum opera sancti Petri de Alcantara restoruit. Erat is nobilibus parentibus Hispanæ natus, qui ab ineunte ætate sanctitatis semitam sequutus, deinde præfatum ordinem ingressus, omnium virtutum exemplar fuit. De eo Sta. Theresia narrat, quadraginta annorum spatio unam tantum horam cum dimidia quotidie somno dedisse, ad abigendumque somnam vel genu vel pede continuò stare. Parva et villosa veste indutum, dura hieme, ostium et fenestram apertam, mortificationis causa relinquere; frequenter triduo jejunare, semper demissis oculis incedere, nunquamque mulieres aspexisse, aliaque id genus plurima, quæ ejus virtutem ostendunt. Is itaque

reformationem Ordinis aggressus, eleemosinis et auctoritate Ducis de Aveiro parvum monasterium in præruptis montibus extruxit, et magnas persecutiones expertus est. Romam pergens a Pont. Julio III confirmationem impetravit an. 1554, posteaque in patriam redux, ope divina fretus et apostolica auctoritate suffultus, S. Francisci institutum ad primævam formam revocare studuit. Juxta Pedrosum Palentiae, cænobium fundavit tam arctioris regulæ, ut meritò *sepulchorum congeries* vocatum sit; sicque reformationem incepit, quæ brevi in multis Hispaniæ et aliarum regionum monasteriis est suscepta. Obiit iste sanctus an 1562 postea a Clemente IX in Ssrum album relatus.

Reformationi inter Augustinianos eremitas occasionem dederunt octo hujus Ordinis missionarii in Hispania, qui ann. 1533 in Mexicum profecturi, nudipedes incedere et villosam vestem e rudiori lana textam induere cœperunt. Ven. Alonso de Orozco, Stus Thomas a Villanova, aliquie plurimum novam formam Augustinorum discalceatorum soverunt, aliquie plures qui hac severitate uti voluerunt; quod cum cæteri non susciperent, illi facta separatione, novam congregationem constituerunt a Xisto V Pont. Max. an. 1585 approbatam.

Potissimum vero Sta Theresia universam nostram laudem meretur, quæ vitam contemplativam ad maximum perfectionis gradum erexit. Non obstante generali sibi facta oppositione, puriore spiritum inter Carmelitas promovit, maiorem abstinentiam, rigidorem jejunium absque esu carnium, viliorem vestitum, continuas flagellationes. Hæc de cora virgo Abulæ in Castella nobili genere an. 1515 nata, ab ineunte ætate magnæ virtutis specimen dedit; postea ordinem Carmelitarum ingressa angelicam vitam in terris age-

re visa est. Quæ sororum suarum disciplinam a regula in multis secedere dolens, quibusdam persuasit ut secum vivarent secundum prioris regulæ rigorem. Verum ab initio tamquam illusa aut vissionaria habita, insuper arido spiritu probata, magnas difficultates experta est, quas adjuvante Deo feliciter superavit, atque a Pio IV an. 1562 sui Ordinis reformationem impetravit, quæ incredibili celeritate undique percrebuit, ita ut duodecim annorum spatio in omnibus fere Hispaniæ populis monasteria ædificare potuerit. Plures libros scripsit cœlestis sapientiæ refertos, perelegantique sermone compositos, qui meritò inter classicos Hispaniæ auctores referuntur, et a mysticis maxima æstimatione habentur.

Non solum inter moniales, sed etiam inter monachos Theresia eamdem reformationem introducere studuit, et reipsa opera potissimum S. Joannis de Cruce, Fr. Antonii de Heredia et aliorum, complures ad illam admittendam addxit, atque Vallisoleti primum virorum monasterium, statutis ab illa compositis, inauguratum est. Licet autem maxima pars Carmelitarum repugnaret, illorum exemplum tot alii imitati sunt, ut plura ab illis monasteria in Hispania implerentur. Idem quippe qui inter cætera austерitatis studia nudipedes *incedere* statutum habebant, *Discalceati* dicti, postea etiam per Galliam, Italiam, aliasque regiones propagati sunt. In duas proinde familias hic ordo per aliquos annos divisus est, quarum una lenioribus, altera *severioribus* legibus utebatur. Multarum vero inimicitarum argumentum cum esset diversa hæc vivendi ratio, siquidem illi qui reformationem respuebant, reformatis acriter adversabantur, Clemens VIII an. 1600 data his facultate eligendi sibi proprium Præpositum generalem, Ordinem in duas congregations separavit. Decessit Sta. Theresia Albæ de Tor-

mes an. 1582, ubi adhuc corpus ejus incorruptum servatur atque cor videtur vulnere perfosum sibi a Seraphim jaculo igneo illato. A Greg. XV Srum Virginum fastis adscripta est, quapropter meritò Sta. Theresia spectari debet velut unum *e fulgentioribus Ecclesiae sideribus, Hispanieque decus præclarissimum.*

Novum ordinem monasticum, curandis infirmis destinatum, per id temporis fundavit Stus Joannes de Deo, an. 1550. Hic primum pastor, postea miles in vitia lapsus, prædicatione audita Ven. Mag. Joannis de Avila, a laxiori vivendi ratione revocatus, ad expianda peccata sua et ad vitam æternam promerendam, Granatæ infirmos in domum a se conductam suscipere et curare cœpit, et non modo eorum indigentis corporalibus sed etiam spiritualibus subveniebat. In hoc misericordiae opere a piis vicinis ei stipem largientibus, atque ab urbis Archiepiscopo et Episcopo Tudensi adjuvabatur. Hic Joannem, qui Dei misericordiam imitari studebat, *de Deo* appellavit, quod nomen Jesus illi apparenſ primum indidit, eique et omnibus, qui ejus vestigia sectarentur, propriam vestitus formam præscripsit. Id re ipsa plures fecerunt qui post mortem S. Joannis societatem regularem cum tribus votis monasticis et obligatione infirmos ex eleemosinis collectis assistendi, efformarunt, quam Pius V an. 1572 inter Ordines religiosos numeravit. Hic ordo propter suam utilitatem per omnes terras catholicas brevi propagatus est, cuius membra ab opere suo *Fratres misericordiae* dici consueverunt. Plerique laici erant, sed tamen aliquos Ecclesiasticos ad sacra domestica peragenda, et ad spirituales ægrotorum indigentias curandas inter se habuerunt.

Non tamen clericis reformatio defuit, etenim ad promovendam in clero pietatem, et ad subveniendum fidelibus,

novam Congregationem, scilicet Patrum Oratorii, instituit S. Philipus Neri. Hic an. 1551 cum aliquot viris, quos in spiritualibus dirigebat, primum in cubiculo, deinde aucto eorum numero in Româ Oratorio, quotidiana de rebus divinis colloquia instituit, iisque progressu temporis alia pietatis exercitia adjunxit. Salutaribus hujus instituti fructibus permotus, illos clericos qui sibi adhærebant in Ecclesia B. Mariæ congregavit, ut ibidem præter divinum cultum exercitia spiritualia cum auditoribus instituerent; atque etiam horum exercitiorum formam variis præscriptis a Greg. XIII approbatis ordinavit. Cæterum sacerdotes huic Congregationi adscripti vestitum clericorum sæcularium gestabant, singuli suis sumptibus vivebant, litteras theologicas colebant, communi Præposito obediebant, sed vota solemnia non emittebant. Hoc institutum late percrebuit, pluresque sapientes egregiosque viros produxit, Baronium, Rainaldum, Thomasinum, Gallonium alias innumeros.

Et hæc quidem luculenter activam Ecclesiæ vitam demonstrant; quibus addendus est Stus Josephus de Calasanz nobilis Hispanus, qui ad pueros in pietate et litterarum rudimentis instituendos *Piarum scholarum* Ordinem fundavit. Quanta ex hoc ordine beneficia Ecclesiæ et universæ societati provenerint, quisque facile videt, qui in posteriores mores influxum puerilis educationis agnoscat. Etenim chatechismum, legendi et scribendi artem gratuitò pueros docebant, quos de domo in scholam et de schola in domum comitatos deducebant, atque progressu temporis hujus Ordinis socii etiam latinas et philosophicas litteras tradendas suscepérunt. Quapropter sedulò Romani Pontifices Clemens VIII. Paulus V aliique talem congregationem foverunt et privilegiis donarunt.

Similem laborem sæculo sequenti Congregatio Sti Mauri sumpsit, etiam a PP. Greg. XV et Urbano VIII approbata. Ejus socii non solum accuratiori regulæ Sti Benedicti exercitio et propriæ perfectioni, sed etiam aliorum saluti adlaborabant. Alii in suis Ecclesiis divinum verbum prædicabant, confessiones excipiebant, aliasque functiones sacras obibant, alii in paedagiis, quæ in suis monasteriis erigebant, juvenes præcipue nobiles erudiebant: alii in scholis inferioribus parvulos in litterarum rudimentis, alii in superioribus monachos tyrones in litteris philosophicis, et theologicis instruebant. Unde multos viros eruditione celeberrimos, in historia litteraria, scientia ecclesiastica, patristica, diplomatica, inter se habuerunt. Quæ Maurinorum studia Benedictinis in Gallia adeo probabantur, ut pluraque horum monasteria illi reformatæ congregationi accederent.

Nec fas est omittere Stum Vincentium de Paulo, qui charitatis christianæ exemplar, summo ardore proximorum bono adlaboravit, optimeque de Ecclesia et societate mernit, adeo, ut juxta Postel, talis Sacerdotis vita ad probandam divinitatem religionis sufficeret. Primò Congregationem sacerdotum an. 1624 instituit, qui sacras missiones per Galliæ pagos exercent, quam Urbanus VIII approbavit. Suscepserunt etiam missiones ad propagandum Evangelium inter infideles, nominatim in Sinis; ad redimendos christianos e servitute piratarum Africanorum, et ad dirigenda paedagogia et Seminaria. Aliam etiam perutilissimam institutionem 1654 Vincentius fundavit *Sororum Charitatis* dictam, cuius innumera beneficia per totum orbem terrarum omnes norunt. Hæ pauperibus infirmis ministrandis, puellis erudiendis, infantibus expositis colligendis operam dare debent,

quod adeo felici successu talique charitatis ardore usque hunc diem faciunt, ut vel ipsi Protestantes in earum admirationem rapiantur, frustraque eas imitari contendunt. Nimirum hæc institutio plane divina solius Religionis catholicæ propria est. Mitto alia permulta, quæ Vincentius acquisivit merita, propter quæ jure meritò dici potest, nullam esse inopiam, miseriam aut calamitatem, quibus ejus fœcunda charitas non subveniret. Demum senex et meritis plenus obiit an. 1660, et a Clemente XII postea inter sanctos relatius est.

Magnis voluminibus opus esset si vellem singulos religiosos Ordines commemorare, quibus Ecclesia eodem semper spiritu servens perhibetur. Post talem vero et universalem in Ecclesia reformationem, nullam excusationem merentur in schismate et hæresi persistendi, tot illæ gentes ab unitate catholica per novatores scissæ, nisi incredibili obstinatione præpedirentur. Verum quod magis notandum est, eodem illo tempore, quo ipsi reformationis specie fidem corrumpebant, sanctissima Ecclesiæ instituta abrogabant, et populos ad noxiā libertatem seu licentiam conducebant; catholici re ipsa religionis et salutis animarum studiosi omnem dabant operam, quó pias hasce congregations pro fidei incolumente, Ecclesiæ bono et aliorum perfectione instituerent, vel reformarent. Ecclesia namque catholica, velut arbor divina, quó magis concutitur, altiores radices mittit, uberiorisque fructus fert, verum Protestantismus, ut arbor autumnalis, infructuosa, eradicata, nullo dato fructu, nisi forte perditionis, misere arescit.

Et nunc opportuna quidem sese offerebat occasio Ordines religiosos ab illis calumniis et conviciis vindicandi, quibus illos increduli insectati sunt, nisi omnibus abunde consta-

ret, quo spiritu perversionis et odii agitati hoc faciant. Solum autem obsecrati, pravique homines, quibus omne quod pietatem et religionem redolet, odiosum est, negare possunt innumera beneficia, quæ Ecclesiæ simul ac reipublicæ religiosi Ordines contulerunt. Etenim si, præjudicatis opinionibus abjectis, historia consulitur, testis ipsa est Ordinibus religiosis deberi, ne Europa in barbariem dilabetur. Scientiæ præterea et artes ab ipsis a communī naufragio servatae sunt; in numeros, sanctissimos, sapientissimosque viros quovis tempore habuerunt, ita ut nulla sit scientiarum pars, nulla virtutis species, quam ipsi feliciter non excoluerint. Necessæ non est in his diutius immorari, cum omnibus notissima sint. Si quis vero ad illos defendendos argumenta cupit, tum etiam illorum influxum in scientias, artes, mores, animosque singulatim cognoscere, noster imm. Balmes et cl. Chateaubriand inter alios, (1) luculentiora atque his temporibus accommodatiora abunde suppeditabant.

(1) Balmes, *El Protestantismo etc.* tom. III a cap. 28 ad 47.—Chateaubriand, *Genio del Cristianismo*, part. IV.—Legatur etiam præclarum opus Com. de Montalembert, *Los Monges de Occidente etc.* Barcinonæ 1867.

CAPUT IV,

De Michaelo Bajo ejusque systemate.

Dum Protestantismus Ecclesiæ sinum atrociter dilacerabat, magnæ etiam animorum contentioni in theologicis Belgii scholis causam dedit Michael Bajus in Universitate Lovaniensi doctor et Professor. Quum occasione recentiorum hæresum circa gratiam, liberum hominis arbitrium et bona opera, de his quæstionibus in scholis frequenter disceptaretur, Bajus easdem secundum S. Augustini mentem tractare sibi proposuit, verum istius Doctoris sententiis male intellectis, in varios errores impegit. Doctrinam suam in primis persuassit Joanni Hesselio in eadem Universitate sacræ theologiae professori. Cum ambo hi doctores essent ingenio morumque probitate conspicui, multi scholastici et alii sententias eorum probarunt. Contra Ruardus Tapperus, Indicus Revenstein aliquique Doctores Lovanienses ab initio iisdem obstiterunt.

An. 1560 Sacra facultas Parisiensis 18 propositiones de Baji doctrina proscriptis. Adversus hanc censuram Bajus edidit doctrinæ suæ apologiam, et aeris inter ejus patronos et adversarios disceptatum est. Archiepiscopus Mechliniensis propter Baji eruditionem et probitatem prudenter utendum esse ratus, utrique parti silentium præscripsit, et cum cardinali Legato Commendonio egit, ut Bajus et Hesselius cum aliis theologis ad concilium Tridentinum destinarentur; tum ut ibidem virorum doctorum co-

Iloquiis a sententiis suis revocarentur, tum ut disceptationes in Belgio finirentur. Cum vero in ultima Concilii Tridentini periodo, cui Bajus et Hesselius interfuerunt, quæstiones ad eorum sententias spectantes, non fuerint agitatæ; cumque prudentiæ sit, ardentibus cum hoste aperto bellis, domesticorum litigia pacare, Baji doctrina in concilio non fuit discussa. Quapropter post illorum redditum contentiones in scholis magis recruduerunt.

Eò res adductæ fuerunt talique pertinacia sententias suas Baji adstipulatores propugnabant, ut necessarium fuerit Sedem Apostolicam de eis suum judicium ferre. Itaque an. 1568 Pius Pp. V ad Cardinalem de Granvelle Archiepiscopum Mechliniensem, bullam dedit, in qua 79 propositiones e scriptis Baji excerptas et Romam delatas, in globo damnavit. Sacra facultas Lovaniensis bullam Pontificis reverenter suscepit. Bajus autem primo restitit, deinde tergiversatus, tandem an 1570 eidem subscripsit.

Verum non omnes Baji fautores ejus submissionis exemplum secuti sunt, alii enim pontificiæ bullæ authentiam in dubium revocarunt, ali eam supposititiam, alii subreptitiam esse contenderunt, unde vix sotipæ disceptationes denuo exarserunt. Quapropter Greg. XIII (1579) aliam bullam per Franc. Toletum S. J. presbiterum, postea R. E. Cardinalem, ad Universitatem Lovaniensem dedit, qua decessoris sui bullam authenticam declaravit, confirmavitque. Gregorii XIII bullam solemniter suscepserunt Universitatis Lovaniensis Doctores, et ipse Bajus, Toleti suassionibus, qui tanta cum submissione errores suos damnavit, ut Toletus diceret: *Fateor nihil me vidisse Bajo doctius, nihil Bajo humilius*, quod utinam omnes hæretici imitarentur. Bajus in hac submissione usque ad obitum suum perduravit, sed ejus doctrina ita proscripta, postmodum in

Jansenismum transfusa est, et a Quesnello amplexa, ut vi-debimus.

His quidem verbis retractatio, quam Bajus edidit errorum suorum, est concepta: «Ego Michael de Baji agnosco et profiteor, me ex variis colloquiis cum Rmo P. Franc. Toleto habitis, super diversis sententiis et propositionibus, jam olim (a Pontificibus) damnatis, ita motum et eò perductum esse, ut plane mihi habeam persuasum, earum omnium damnationem et prohibitionem, jure meritoque decretam esse. Fateor insuper plurimas ex iisdem sententiis, in non-nullis libellis a me olim conscriptis contineri, etiam in sensu, in quo reprobantur. Denique declaro me impræsentiarum ab iis omnibus recedere, et damnationi a Sancta Sede factae acquiescere, neque posthac illas defendere aut asserre, velle.» (1) Hæc autem sincera Baji submissio catholicis omnibus multum perplaciuit, «atque hoc pacto Bajus, inquit Pallavicini, non solum illæsus perstitit, sed ipsius etiam nomini verba Diplomatis pepicerunt. Quin per illud ejus errores manum tam mitem experti sunt, ut vix viderentur errores; cum aliquæ ex proscriptis propositionibus, nullis certis in hac exceptione adnotatis, dicerentur posse sustineri in aliqua minus propria significacione.» (2)

Hæc autem præclari historici postrema verba, illis, quibus Pius V Baji errores damnavit, simillimas sunt, atque sensum damnationis ostendunt. Quoniam vero de isto sensu fuit acriter disputatum, præstat ipsa diplomatica verba refferre, quæ sic se habent: *Quas quidem sententias, stricto co-*

(1) Apud Amat de Gravenon, *Hist. Eccl. coll. I*, sæc. XVI. tom. 7.—Aug. Vind. 1758.

(2) Lib. 15 *Histor. Conc. Trid.* cap. 7.
—Aug. Vind. 1758.

ram nobis examine ponderatas, quamquam nonnullæ aliquo pacto sustineri possent, in rigore et proprio verborum sensu ab assertoribus intento, hœreticas, erroneas, suspectas, temerarias, scandalosas, respective, ac quæcumque super his verbo aut scripto emissâ, præsentium auctoritate damnamus, etc. Diploma datum est Romæ kal. Octobris 1568. Quod quidem dum Pontifex vixit, majoris lenitatis gratia, privatim Lovaniensi Academiæ ab Archiepiscopo Mechliniensi denuntiatum est.

Non deficiebant tamen damnatarum propositionum defensores, atque illorum causa, de sensu diplomatis a Pio V editi, etsi a Gregorio XIII postea confirmati atque promulgati, in Academia Lovaniensi novæ discordiæ promotæ sunt. Contendebant enim plures diploma adulteratum esse ab iis, qui apicem ponerent post illa verba, *sustineri possent*, qua additione fiebat, ut reliqua quæ sequuntur, *in rigore et proprio sensu ab assertoribus intento*, ad damnationem referrentur, quasi in sensu *fauctoris* damnarentur: Pontificem vero numquam hanc intentionem habuisse. Præterea nullam in eo loco interjectam esse virgulam in originali Bulla, Jacobus Jans. Doctor Lovaniensis, autographum manibus tenens testabatur: idemque asserit Jansenius Irenensis (1) seque nullum distinctionis vestigium sæpe suis oculis in eodem vidisse testatur: sed consulto distinctionis notam seu virgulam a Pontifice subtractam esse, ut in sensu ab auctoribus intento quasdam ex illis propositionibus propugnari posse significaret.

Verum etsi in Pii V diplomate comma eo loco aliisque deesset, scribæ incuria, nihil isti proficerent. Etenim in

(1) Lib. 4 de *Statu naturæ lapsæ*, cap. ultimo apud Nat. Alex.

Greg. XIII originali Bulla cum commate hæc sententia legitur, et eodem tenore et cum eadem distinctionis nota scripta est in Urbani VIII Constitutione, qua censuram et judicium contra Bajum confirmavit. Accedit, quod si absque commate in Pii V Diplomate hæc sententia legenda esset, sibi ipsi contradixisset sapientissimus Pontifex: hoc enim posito nonnullæ Baji propositiones non solum *aliquo pacto*, sed simpliciter et absolute sustineri possent: siquidem fieret sensus illas in rigore et proprio sensu sustineri posse; quod sane idem est ac posse absolute et simpliciter sustineri. Propositio enim, quæ ex vi sua et secundum sensum quem reddit, propugnari potest, absolute et simpliciter defendi potest. Absurdissime etiam singitur, Pontificem damnare sententias, quas ipsem in rigore et proprio sensu posse sustineri judicaret. Legendus itaque est ille Pontificii Diplomatis locus cum nota distinctionis, seu virgulæ interjectione, verbaque in sensu adversativo accipienda, videlicet: Quamquam nonnullæ aliquo pacto sustineri possent, id est, in sanum sensum utecumque fleeti: tamen in rigore et proprio sensu quem verba præferunt, damnamus. Tandem non omnium retractationem a Bajo, pontificio nomine, postulasset et impetrasset Toletus, si aliquæ in rigore et proprio sensu ab auctore intento sustineri potuissent. (1)

Nihil vero dico de authentia hujus *Pianæ Bullæ* quam aliqui impugnant, ex eo quod a Catena et Gabutio, qui vitam et gesta Pii V scripsérunt, nulla omnino ejus mentio

(1) Ita Natalis Alex. in *Historia Ecclesiastica*, sœc. XVI. cap. II art. 14, ubi etiam integræ legi possunt omnes propositiones in Bajo proscriptæ. Venetiis, 1771.

facta sit, nec etiam Bullario Romano inter alias hujus Pontificis Bullas fuerit inserta. Etenim de ejus authentia nos dubitare non sinunt sequentes Pontifices, qui illam approbarunt et confirmarunt, atque Universitates Parisiensis et Lovaniensis. In hac postrema, ut cætera omittam, diploma Pii V acceptum est, lata lege, ut quisquis deinde in eam adscribi vellet, perpetuam prius ejus observationem jure jurando pacisceretur. Quapropter de hoc diutius disserere necesse non est.

Nunc vero in quo consistebant propositiones a Pio V damnatae breviter exponere oportet. Igitur in tres classes universæ illæ dispesci possunt, juxta triplicem naturæ realem statum, quarum præcipuae hæ sunt. 19. Opera chatecumenerum, ut fides et Pœnitentia, ante remissionem peccatorum facta, sunt vitæ æternæ merita. 21. Nullum est peccatum ex natura sua veniale, sed omne peccatum meretur pœnam æternam. 26. Omnia infidelium opera sunt peccata et Philosophorum virtutes sunt vitia. 27. Integritas primæ creationis non fuit indebita humanæ naturæ exaltatio sed naturalis conditio. 28. Liberum arbitrium sine gratiæ Dei auxilio non nisi ad peccandum valet. 55. Omne quod agit peccator vel servus peccati, peccatum est. 58. Omnis amor creature rationalis aut vitiosa est cupiditas qua mundus diligitur, aut laudabilis illa charitas, qua per Sp. sanctum in corde diffusa, Deus amatur. 59. Quod voluntarie fit, etiamsi necessariò fiat, liberè tamen fit. 54. Diffinitiva hæc sententia, *Deum homini nihil impossibile præcepisse*, falsò attribuitur Augustino, cum Pelagii sit. 66. Sola violentia repugnat libertati hominis naturali. 67. Homo peccat damnabiliter etiam in eo quod necessariò facit. 68. Infidelitas pure negativa peccatum est. Has autem et cæteras propositiones Pontifex in glo-

bo damnavit ut hæreticas, erroneas, suspectas, temerarias, scandalosas, ita ut nulla earum respective, ab aliqua vel pluribus ex his censuris sit immunis.

Ex harum autem levi expositione facilime deprehendi potest, quam injuste Mosheimius in Hist. Eccl. sæc. XVI asserere audeat, hanc Baji doctrinam ad mentem S. Augustini editam esse, imo ab illius Doctoris doctrina non differre. A viro sane lutherano aliud sperandum non erat; cæterum nihil potest esse magis a veritate alienum, quam hæc asseveratio, quæ si vera esset, hæresis notam S. Augustino inurere deberemus. Præstantissimi vero Theologi, comparatione utriusque doctrinæ facta, errores Baji a catholicis Augustini sententiis optime distingunt, imo ex S. Augustino viciacia testimonia et argumenta ad Bajum refellendum deducunt. Bajus ipse non alio modo, nisi S. Augustinum detorquens vel mutilans, suas sententias defendere potuit, quod inter hæreticos commune est.

Nihil sane S. Augustinus habere commune potest cum illo systemate quod, ut observat Montaigne, nihil aliud est quam absurdia commixtio pelagianismi, in eo quod attinet statum naturæ integræ, et lutheranismi atque calvinismi in eo quod ad naturam lapsam refertur; ac demum quod spectat ad statum naturæ per Christum reparatæ, ejus sententiae de justificatione, de sacramentorum efficacia, deque bonorum operum merito, concilio Tridentino aperte repugnant. Quapropter nisi per injuriam et calumniam id de Sto. Augustino affirmari non potest; sicut etiam ex supradicta Baji ipsius retractatione perspicue apparet, qua protestatus est doctrinam suam justissime fuisse damnatam, quod de Sto. Augustino dici nequit.

Quod magis patet, si ratio habeatur Baji systema absur-

dum unde quaque esse, unde illud S Augustino tribuere nefas est. Nullo etenim fundamento constat naturæ integræ Deum illa dona conferre debuisse, quæ Adamo gratis concessit, cum nihil creaturæ debeat. Redemptio præterea per J. C. penitus evanescit, et nulla est, si hoc systema de hominis statu taliter per peccatum corrupto verum esset; cum in hac vita per redemptionem illa dona homini non restituantur. Accedit quod hominem ingenti mœrore afficit, omnemque virtutis incitamentum evertit, atque opera bona difficiliora reddit, si tamen ullum opus bonum in hac sententia dici posset. Homo nihil aliud nisi peccatum faceret, cum tales, juxta Bajum, sint motus concupiscentiæ indeliberti; libertas destrueretur; aliaque non minus absurdâ, que religionem evertunt, fiduciam in Deum evacuant, hominemque in desperationem inducunt, quod magis patebit cum de Jansenio sermonem instituemus. (1)

(1) Qui piura cupit legat Duchesne *Histoire du Jansenisme*—Doval 1751.

CAPUT V.

De controversiis de auxiliis.

Nonnullæ quæstiones sunt, quas, nisi debite pro sua magnitudine dilucidentur, convenientius esset omittere, cum de eis acriter disceptatum sit validissimis ex utraque parte rationibus; unde difficile est, eas pro rei veritate, etsi id maxime in animo sit, pertractare, ex eo quod unusquisque juxta sua placita earum fata et processus narret. Verum ne juvenes penitus jejuni sint, aliqua breviter de controversiis dicemus, quæ circa gratiam *sive auxilia*, ut dicebant, saeculo XVI magna animorum contentione et nervosa eruditione in scholis agitatæ sunt.

Cum Novatores et Bajus de gratia divina et libero arbitrio tam turpiter errassent, necesse fuit theologis catholicis, his studiis impensius incumbere; unde SS. Patrum et Conciliorum sententiis evolutis ingentia volumina prodierunt. Catholica autem veritas sub alia forma proposita quamdam novitatem præseferre videbatur, nec ab omnibus probabatur, unde magno æstu disputatum est. Controversiæ istæ præsertim pertinebant ad divinam Librorum sacrorum inspirationem, ad gratiam, liberum arbitrium, hisque affinia. Omnes quidem conveniebant divinitus inspiratos fuisse liberos tum veteris tum Novi Testamenti, disputabant vero de modo quo Ss. Scriptores fuissent inspirati et de ratione inspirationis. Similiter hominem sub motione prævenientis gratiæ esse liberum omnes admittebant, eique libere cooperâ-

ri, tum ex parte Dei dari certam et immutabilem electorum prædestinationem; sed tamen acriter decertabant de ratione conciliandi infallibilem hanc gratiæ efficaciam cum libera humanæ voluntatis determinatione, atque de ratione et causis prædestinationis, si hæc spectetur in ordine intentio-
nis seu *in actu primo* in mente divina.

In primis de his quæstionibus acerrime disputatum est in Universitate Lovaniensi inter ejusdem Doctores facultatis theologicæ et Patres Jesuitas. Occasionem dederunt pri-
mó Leonardus Lessius et Joannes Hamelius in Collegio So-
cietatis Jesu Sacrae Theologiæ Professores, qui an. 1586 tri-
ginta quatuor propositiones in publicis concertationibus docuerunt, quas Academia Lovaniensis acri censura extem-
plo confixit, eò quod a Doctrina Sti Augustini et Divi Thomæ alienas judicassent. Lessius ejusque socii contra Lovaniensium censuram protestati, ediderunt doctrinæ suæ apologiam, cui tamen Lovanienses in judicio persistentes, an. 1588, opposuerunt censuræ suæ defensionem. Præterea eodem anno sacra facultas Duacensis easdem 34 propositio-
nes etiam censura sua perstrinxit. Earum propositionum summa hæc erat. 1.^a ut aliquid sit Scriptura divinitus inspi-
pirata, non est necessarium, ut singula ejus verba sint a Spiritu Sancto inspirata, aut singulæ veritates et sententiæ sint immediate a Spiritu Sancto inspiratæ; quinimo liber si-
ne assistentia Spiritus Sancti conscriptus, (qualis forte est secundus Machabæorum, ipsi dicebant,) si Spiritus Sanctus postea testetur in eo nihil esse falsum efficitur sacra Scrip-
tura: 2.^a Deus post prævisum peccatum originale omnibus dare consuevit, et reipsa dat, sufficientia auxilia ad obtainen-
dam vitam æternam, omnesque, etiam infideles, ex parte Dei seu *in actu primo* habent auxilium sufficiens ad salutem.

3.^a prædestinatio est e prævisione operum seu meritorum hominis: aliaque Providentiam divinam, Gratiam et justificationem spectantia.

Cum gravissimæ exinde contentiones utrinque suborirentur, quæ Ecclesiæ catholice exitiale damnum afferre poterant, Pontifex Sixtus V interpellatus, hanc causam ad se vocavit. Discussis per delegatos *ad hoc* theologos memoratis propositionibus, Lessii apologia, atque censuris Academicarum Lovaniensis et Duacensis, Pontifex quæstiones controversas non definitivit, sed ad terminandas noxias contentiones sub pœna excommunicationis partibus prohibuit, ne altera alterius sententias censura notaret, donec auctoritate apostolica fuissent definitæ. Quo apostolico mandato per Octavium Frangipani, Sedis Apostolice Nuntium, Lovaniam perlato aliquantulum animorum contentio deferbuit. (1)

De iisdem pene quætionibus eodem tempore acriter in Hispania disceptatum est occasione ejusdam libri, quem Ludovicus Molina S. J. Eboræ in Lusitania professor cum approbatione Inquisitionis tipis vulgavit *De concordia liberi arbitrii cum divina gratia, præscientia et prædestinatione*. Molina ad conciliandum liberum hominis arbitrium cum efficacia gratiæ, docebat hominem nativis suis viribus, seu generali Dei concursu, operari posse aliquid moraliter bonum, quod quidem nullum supernaturale pretium et meritum pro salute habeat, quo tamen Deus moveatur ad gratiam suam homini nativis viribus utenti conferendam. Conferuntur

(1) H. G. Wouters, *Historia Ecclesiæ compendium prælectionibus publicis accommodatum*. Neapoli-1863, quo præcipue in hoc opere ad factorum narrationem utimur.

juxta ipsum gratia sufficiens, per liberam cooperationem vero hominis cum gratia evenit, ut illa gratia sufficiens fiat efficax, et homo usque in finem in bono perseveret. Liberum vero hominis arbitrium cum divina præscientia et prædestinatione conciliabat ope *scientiae mediae*, qua Deus prævidet, quid voluntas in his vel illis rerum adjunetis pro sua libertate actura vel non actura sit, qua præscientia actionum humanarum libertas minime tangeretur; eó quod homo non ideo ageret, quia Deus prævidit, sed potius Deus pro plenissima sua cujusvis rei cognitione id prævideret, quod re ipsa facturus sit. Eodem modo pariter secundum Molinam Deus ad vitam æternam prædestinavit eos, quos gratiæ suæ cooperaturos per scientiam medium prævidit; quæ prædestination, utpote non absoluta, sed hypothetica seu fundata in prævisa meritorum cooperatione, libero arbitrio minime officeret.

Verum multi, in primis Bañez aliique FF. Prædicatorum theologi in Hispania in librum Molinæ inventi sunt, eumque ad Inquisitionem detulerunt. Etenim Bañez, ait Petrus à S. Joseph, timebat se videri calvinianum, nisi Molina pelagianus appareret. Molinæ vero defensionem suscepérunt theologi Soc. Jesu, et quidem felici adeo successu, ut brevi hujus sistema à Franciscanis et Augustinianis amplexum fuerit, et in celebrioribus Universitatibus, publicis conclusionibus sustentatum. Utrinque ardentius disceptatum est atque invicem alterutra pars contrariam censuris notabat.

Brevi post eadem controversiæ non solum in Hispania sed etiam in aliarum regionum scholas penetrarunt. Alii qui in scholis dicti sunt *Thomistæ*, quod se S. Thomæ sententias et vestigia sequi contenderent, gratiæ efficaciam re-

petebant ex intrinseca ejus vi, qua Deus decreto suo independenter a quocumque consensu creato phisicè præderminat voluntatem humanam ad actum eliciendum, ita ut homo hac gratia determinatus semper et infallibiliter agat; scientiam medium rejiciebat; et prædestinationem non e prævisis meritis, sed gratuitam omnino et absolutam esse contendebant. Alii, dicti *Molinistæ*, gratiam denominabant efficacem ab effectu, adeo ut gratiam cui voluntas humana non cooperatur seu resistit, sufficientem, qua vero voluntas utitur et agit efficacem vocarent: id tamen non intelligebant ac si gratia suam efficaciam acciperet a solo hominis consensu, sed exclusa prædeterminatione phisica, admittebant moralem gratiæ influxum, quo voluntas prævenitur, excitatur et adjuvatur ad actum eliciendum. Præterea scientiam medium, et prædestinationem e prævisis meritis defendebant. (1)

Cum autem contentiones et turbæ nimium ferverent Clemens PP. VIII an. 1596, postquam P. Alvarez Romam ad hoc profectus judicium novum ibi postulasset, atque ab aliquibus Hispaniæ Episcopis monitus, causam ad se evocavit. Interim autem utriusque parti silentium de præsentibus controversiis præscripsit, et omnes processus et scripta, simulque Episcoporum, Universitatum et præcipuorum theologorum sententias de prædicta materia exquisivit. Pontifex a Cardinalibus Alexandrino et Asculano persuasus consultores examinando Molinae libro designavit; quum vero Dominicanici judicium Sedis Apostolicæ urgerent Clemens VIII an. sequenti Romæ instituit celebres congregations Cardinalium

(1) Wonters, loc. cit. p. 173.

et peritorum theologorum, a suo objecto *De auxiliis divinæ gratiæ* appellatas. In primis congressibus duorum mensium spatio celebratis 60 fere propositiones ex libro Molinæ excerptas censura notarunt. Pontifex miratus tam cito datam decisionem, scriptas videre postulavit Consultorum sententias, et rationes quibus tam errata libri Molinæ, tum æquitas censurarum probarentur; et præcipitiantiam suspectus, rei gravitatem expertus, ait Aug. Le Blanc, causam matu- riori judicio dirimendam judicavit. Propositiones notatae postea ad 41 reductæ sunt, deinde ad 21, quare ipse Pontifex censure acriter reprehendens Congregationibus interes- se voluit.

Dicendi facultate utriusque partis theologis coram Pontifice data accerrime Jesuitæ et Dominicanî de controversis articulis disputatione. Plurimis et longis congregationibus celebribus, censure forsan acri animo in Molinam dispositi, præsertim postquam Cardin Madrueius Jesuitarum protec- tor obierat, inducere Pontificem conati sunt, ut causam judicio suo contra Molinistas dirimeret. Idipsum cardin Alexandrinus Clementis VIII propinquissimus urgebat, aliquique plures, inter quos præcipue marchio de Villena Hispanus Ambasciator vehementer instabat. Jamque Pontifex, ut fertur, ad sententiam damnationis ferendam paratus erat, cum morte præceptus fuit V nonas Martii ejusdem anni 1605.

Congregationes morte Clementis VIII interruptæ sub Paulo V eodem anno successore (post Leonem XI, qui tan- tum viginti sex diebus sedit,) resumptæ sunt. Tunc, cum Jesuitis qui antea se defendendi tantum jus habebant, accusatorum etiam partes fuissent concessæ, repente rerum facies immutata est. Elenim P. Ferdin. La Bastida S. J. adeo nervose pro Molinæ systemate dimicavit, comparatione ins-

tituta viginti articulorum Bañez cum aliis totidem Calvini, eoram ipso Pontifice, ut plene decisa in favorem Societatis causa videretur. Nihilominus post alias plures acres concertationes, variosque eventus, spargi cœpit in vulgus quædam species, jam Bullam damnationis dispositam, diplomaque confectum, cui nihil nisi solemnitas promulgationis deficerre mira securitate asserebant, quod omnino falsum esse postea videbimus. Interim Papa videns, ambas partes in tuendis dogmatibus ab Ecclesia definitis, et in damnandis haeresibus ab ea damnatis consentire, post 17 congregaciones habitas, nullum judicium de articulis controversis ferendum censuit, illud nihilominus sibi reservans in futurum, sed rem ita tune temporis terminavit an 1607, ut utriusque parti suam sententiam defendere liberum esset, sed neutra alteram aliqua censura notare præsumeret. (1)

Utrumque pròpterea systema catholice defendi potest; immo vero catholicus theologus utrinque argumentis promiscue adversus hæreticos pugnare debet. Dummodo enim fides intemerata servetur, quamcumque opinionem sequi liberum est. Et re quidem vera tam Molinistæ quam Thomistæ in fidei dogmatibus concordes sunt, Deum scilicet utriusque Testamenti librorum auctorem esse, suamque gratiam benigne hominibus conferre; gratiam esse omnino necessariam ad opera salutis elicienda, sed tamen hominem libere bonum operare, quia nec liberum arbitrium gratia tollere potest, nec libertas gratiæ efficaciam minuere, sed alterutra amicabili consortio in salvationis negotio procedunt. Admittunt præ-

(1) Loc. cit. Cf. etiam Livinus Meyer. *Historia Congregationum de Auxiliis.* om 4. Venediis 1742.

terea citati théologi divinam præscientiam futurorum, nec non prædestinationem, quæ in actu secundo seu in concreto hominis cooperationem necessarió postulat, et tantum discrepant in modo expositionis ipsius doctrinæ. Si quis vero euperet plenissimam harum concertationum notitiam habere, quæ tanto animorum fervore agitate sunt, Livinus Meyer pro Molinistis, et Aug. Le Blanc seu Hiac. Serry pro Thomistis ingentia volumina *Historiae congreg. de auxiliis*, singuli suo studio scripta, reliquerunt.

Ex his vero deprehenditur quam falsò et injuriose minister Jurieu Jansenium sequutus Ecclesiam reprehendit, dum affirmare audet, Molinismum veteres semipelagianorum errores suscitasse, atque Ecclesiam romanam dum sistema Molinæ permittit, semipelagianorum errores tolerare. Hoc autem calumniosum est.

Etenim si id verum esset erroris universa Ecclesia convinci posset, quæ hæreses olim damnatas permitteret, imo soveret, cum exploratum sit, sistema Molinæ, licet aliquantulum moderatum nomine *Congruismi*, cum Ecclesiæ approbatione in scholis totius orbis doceri. Deinde præstantissimi theologi omni eruditionis et virtutum genere præclari, pelagiani aut semipelagiani dici deberent quod absonum est, etenim ipsi dum sistema Molinæ defendunt, antiquos pelagianorum errores firmiter condemnant, nervosisque argumentis rejiciunt et execrantur. Præterea plures Episcopi, egregii Cardinales, atque etiam non unus Rom. Pontifex prædictum sistema amplexati sunt, nec desunt hujus doctrinæ defensores in sanctorum album relati. Unde ipse P. Natalis Alexander licet dom. et thomista non potest ferre eos, inquit, «qui opiniones ab Ecclesia minime damnatas et in ejus in a theologia impune propugnari solitas, temerariis censuris incurunt,

et male conceptis parallelis doctrinæ Molisniticæ cum Pelagianis et semipelagianis erroribus, veritatem lœdunt, violent charitatem, pacemque Ecclesiæ perturbant.» Et alibi asserit; «sensus Molinæ non est Pelagianus nec semipelagianus» imo art. 8 Sæc. V cap. 5. n.^o 14 affirmat eos qui Molinam accusant, esse *vel semipelagianorum dogmatum ignaros, vel studio partium in transversum actos.*»

Ostendit quidem cit. Meyer postquam capite præcedenti asseruit, Jesuitas postulasse ut de Pelagianis disputaretur, ut appareret *quibus in capitibus*, ut Pont. verbis utar, *Molina Pelagianis aut semipelagianis assentiat*ur, quod Dominicanii recusarunt, ostendit, inquam, nonnisi ex ignoratione ejusmodi errorum Molinæ propositiones fuisse rejectas; ubi præcipue suas demonstrationes testimoniis Nat. Alex. loco citato, superaedificat. Qui insuper in secunda parte, per quam erudita dissertatione, exponit veros Massiliensium et Pelagianorum errores, et quomodo a doctrina catholica discrepant, atque etiam quibus in locis ipse Molina pelagianis adversatur data opera ostendit, ut quisque facile videre potest. (1)

Objiciunt quidem Thomistæ jam fuisse ferendam sententiam adversus Molinam, Bullamque jam confectam, ut antea innuimus, cui nihil nisi solemnis promulgatio defuit, quod si Pontifex ab illa publicanda abstinuit, causam fuisse exilium quod tunc temporis patiebantur Jesuitæ a senatu Venetiano propter observationem interdicti iñ hunc statum a Paulo V annullati, de quo postea dicemus. Verum adversarii reponunt hoc esse injuriosum commentum Dominicanorum, «præ-

(1) Cap. 21 lib. VI.

tensæ enim Constitutionis buccinatores primi fuere J. Sanctamoreus aliquique Jansenii vindices, qui quo tempore Romæ quinque istius famosæ propositiones examinabantur, multa dictæ Bullæ exemplaria describi curarunt, eo fine ut oppositas quinque Jansenii propositiones ab imminentि damnatione liberarent.» Sane non ante ann. 1652 evulgari cœpit; toto illo autem elapso tempore Thomistæ de tali Bulla penitus siluerunt, licet accurate colligerent omnia etiam levissima, quæ ad sui defensionem facerent. Præterea nullo modo credibile videtur in unica Cardinalium congregatione potuisse tantas propositiones examinari et cum copiosis Jesuitarum responsionibus conferri, eo vel magis quod omnia illuc pertractata debuerint alto secreto, sub poena excommunicationis latæ sententiæ, servari. Longe vero minus credibile videtur Paulum V universam Molinæ doctrinam permittere potuisse libere in Ecclesia tradi, si plures illius propositiones damnables censerentur. Demum Innocentius X, ut alia plura præteream, aperte sancivit prædictæ Constitutioni, aut actis Congregationum a Peña vel Lemos exaratis, *nullam omnino fidem esse adhibendam.*

Juverit tamen verba submittere, quibus cl. Bossuet ministrum Jurieu confutavit. «Quod objicitur, inquit, Molinistas esse semipelagianos, aut Ecclesiam Romanam pelagianismum tolerare, ut appareat quam falsum est, sufficit in libros Molinistarum oculos conjicere, ex quibus abunde patebit illos admittere proculdubio pro electis gratuitam divinæ misericordiæ prædilectionem, gratiam semper prævenientem, semperque ad opera pia necessariam, necnon speciale motu in his directionemque. Verum pseudothomistæ aut semicalvinistæ imo calvinistæ proprie dicti nesciunt hoc contenti esse, et quævis gratia, quæ liberum voluntatis arbitrio

trium non destruat, semper videbitur ipsis pelagiana.” (1)

Verum non haec talia sunt, ut ex his inferri queat, phisicæ prædeterminationis et gratiæ a se efficacis assertores calvinismi aut jansenismi labe esse maculatos. Nec etiam obstat quod Cardinalis du Perron Pontifici significavit, videlicet; *si pro phisicis prædeterminationibus sententiam ferret, fidem se obligare, fore ut huic Pontificio decreto universi Europæ Protestantes subscriberent.* Gravioris certe momenti argumentum suppeditat collatio doctrinæ Bañez et Calvini coram Paulo V a P. La Bastida facta, cuius superius meminimus, verum optime P. Thom. de Lemos ab ejus argumentis se expedivit, pluresque differentias sui et Calviniani dogmatis assignavit.

Quæ argumenta ad Molinistas a semipelagianismo purgandos superius retulimus, eadem respective pro Thomistis a jansenismo vindicandis, usurpari possunt. Hæc enim postrema schola plures dignissimos viros et sanctissimos habuit, et ubique cum Ecclesiæ consensu sua dogmata tradidit et adversus Calvinum dimicavit, *Ecclesia vero, ut ait S. August, que sunt contra fidem et bonos mores nec approbat, nec facit, nec patitur.*

Sartam autem tectamque Thomistæ libertatem tuentur, cum absolute, ut ajunt, sub gratiæ efficacis influxu voluntas dissentire possit, licet de facto non dissentiet, hoc autem oritur non ex impotentia voluntatis, sed quia supposita gratia *efficaci* non potest esse simul *non efficax*. Hæc autem gratia efficax nullam infert homini necessitatem, et consensum voluntatis in opere requirit, *Dei enim, ut ait Apost. IV. Cor. cap. XV. 10, sumus adjutorès, (græce, cooperatores.)* Et en quomodo in fi-

(1) Apud Genion lib. LXX Hist. Ecclæ.

de catholica utriusque scholæ propugnatores conjunguntur.

In ejusmodi proinde quæstionibus animo penitus a partium studio alieno procedi debet, et sic veritatem invenire facilius erit. Obsoletæ quidem tales concertationes sunt nostris temporibus, vixque jam in scholis agitantur, unde tutius videtur nihil amplius in eis, nisi eruditionis gratia, inmorari. In his siquidem miram Ecclesiæ prudentiam imitari debemus, quæ semper fidem intemeratam servare scit, independenter a disputationibus privatorum. Ipsa enim, magna maturitate, charitate et consilio rem discutere curavit, et cum ambas opiniones veræ fidei conformes videret, sapientissimas dispositiones dedit, ne una pars alteram censuris notaret, quibus paulatim animorum fervorem extinxit, et inter ipsos catholicos timendam scisionem impedivit. Si quis autem vult in his ingenium exercere, non abnuimus; verum illud Apostoli monitum perspectum habeat: *O altitudo divitiarum sapientiae et scientiae Dei!-caveatque mysteria rationi impervia penetrare præsumere.*

CAPUT. VI.

De Rom. Pontificibus qui post concilium Tridentinum sœc. XVI Ecclesiæ præfuerunt.

Quantum Rom. Pontifices celebrationi et absolutioni Concilii Tridentini contulerint superius auctor (tom. 4. cap. 19) significavit. Illud autem permagnum fidei catholicæ, Ecclesiasticæque disciplinae monumentum tandem ann. 1564 feliciter absolutum Pius PP. IV data constitutione *Benedictus Deus*, apostolica auctoritate confirmavit. Non minus impense laborarunt, qui, post absolutum concilium Romani Pontifices Ecclesiæ præfuerunt, ut ab omnibus illius decreta et decisiones ubique reciperentur servarenturque; quamobrem opportunum est aliquam de iis notitiam non prætermittere, sicut eorum virtuti et præstantiae debetur, cum præterea constet, inter præclarissimos optimosque Pontifices, qui quovis tempore in D. Petri cathedra sederunt, istos numerari debere.

Itaque Pio IV die 9 Decembris 1565 mortuo suspectus fuit magno bonorum plausu Michael Gislerius, R. E. Cardin, qui, pii V nomen assumpsit. Hujus electionem potissimum promovit Stus Carolus Borromæus, R. E. C., qui, ut ait, tantum fidem, religionemque respexit, et cum jam pridem eximias illius virtutes penitus exploratas haberet, eum præ cæteris dignissimum Pontificatu judicavit. Nec eum sefellit evenitus, nam hic Pontifex vitæ sanctitate, catholicæ religionis studio, rebusque præclare gestis claruit.

Quoniam de Sto. Carolo Borromæo mentionem fecimus, nolumus occasionem prætermittere, quin de hoc Ecclesiæ sidere aliqua notitia habeatur, quem jure Postel illustriorem hujus temporis Sanctorum, exemplar Episcoporum, et disciplinæ Ecclesiasticæ restitutorem appellat. Eruditione pariter et vitæ sanctitate a pueritia insignis, anno ætatis 23 a patruo Pio IV Cardinalis et Archiepiscopus Mediolanensis creatus, defectum ætatis prudentia eximia et pietate honestavit; vix enim dici potest quanta sollicitudine et quanto Ecclesiæ bono vigilantissimi pastoris partes expleverit. Resumendo et absolvendo Concilio Tridentino potentem operam præstítit, illius decreta in seipso et familia executioni mandavit, et postea, magna fortitudine, secundum ea cleri, populi atque regularium mores et disciplinam emendavit, sex provincialibus sinodis et undecim diœcesanis in hunc finem celebratis. Seminaria clericorum, studiorum collegia, pauperum et orphanorum domicilia et monasteria erexit, nec tamen his curis ab integrâ diœcesis visitatione abstinuit, quam aliquando peccibus facere coactus fuit, et a concionibus numquam destitit. Præterea pœnitentia admirabili, et liberalitate ac charitate effusissima claruit, maxime dum pestis atra Mediolani grassetur; quo tempore infectos domi visitabat et pro his sublevandis universa bona sua et supellectitem vendidit, incluso proprio lecto. Multa scripsit ad instructionem episcoporum et parochorum utilissima, donec magnis pro Ecclesia laboribus perfunctus ann 1584, in cœlum migravit. (1)

(1) Postel, op. cit. cap. IX § 1—Henrion lib LXV n 50 et seq.—LXVI n. 25 et seq. et 47—LXVII n. 19 et seq. et alibi.

Hoc potissimum agente Pius V ad summum Pontificatum nolens et recusans assumptus fuit 1566. Hic omnem curam adhibuit ut Tridentini Concilii decreta ubique executioni mandarentur, plurimis saluberrimis Constitutionibus editis, de Episcoporum et aliorum quibus animarum cura mandata esset residentia, de cultu divino, festorum observantia, monialium clausura, cambiis illicitis, aliisque ad abusus corriganos opportunissimis, pena etiam in transgressores proposita. In Americam et Indias Apostolicam sollicititudinem explicit, lectissimosque e Societate Jesu sacerdotes ad Japonios et Sinas, sidei propagandæ causa, destinavit. Catechismum e Tridentino decreto editum, Breviarium et missale ex ejusdem concilii præscripto emendavit, cæteris prohibitis, quorum usus a primæva institutione a Sede Apostolica, vel 200 annorum legitima consuetudine non esset approbatus.

De illo *Catechismo ad Parochos* a Pio V edito, eruditam et copiosam dissertationem Fr. Ant. Reginaldus scripsit, quam habet Nat. Alex, (1) cuius summam non erit abs re breviter exhibere. Etenim statim ac in lucem prodiit dictus Catechismus, nonnulli Theologi in ipsum acriter insilierunt, et haereseos nota deturparunt, quibus omnibus Reginaldus sese opposuit, et hujus libri doctrinam et super cæteros auctoritatem vindicavit. Plures tunc temporis Catechismi erroribus pleni circumferebantur, quare visum est Patribus Tridentinis nomine totius concilii Catechismum conficiendum, nea cuiquam amplius dubium superesset, quo potissimum libro ad christiani populi eruditionem iis, quibus hæc cura commissa est, foret utendum. Quapropter pluribus patribus hoc minus demandatum est, quod in ipso Concilio cæptum, postea Romæ, jussu Pont., complures theologi discretique viri in eo perficiendo laborarunt. Unde patet quantæ sit hoc

opus auctoritatis, quod a Concilio decretum et a Summo Pontifice editum est eo fine, ut ex ejus doctrina Parochi populum christianum docerent. Quapropter non solum a vulgo Catechismus Conc. Trid. nuncupatur, sed etiam a Doctoribus, et ab ipsis Conciliis provincialibus auctoritate apostolica confirmatis. Itaque si error aliquis, si quidpam fidei bonisque moribus minus consentaneum, si non omnia certa hujusmodi opere continerentur, id totum in ipsius Concilii opprobrium redundaret. Accedunt praeclaræ dotes illorum qui eum ediderunt, Rom Pontificum et Conciliorum approbationes, commendationesque, quare Joan. Bellarinus: *Catechismus Rom.* (inquit) *habet majorem auctoritatem quam quilibet Doctor Ecclesiae, sive D. Augustinus.... etc.* Et opinor illius doctrinam tantæ esse auctoritatis, ut contradicere illi temerarium sit, primo, quia ejus doctrina eadem Concilii Tridentini est.... secundo, quia dupli auctoritate tum concilii Generalis, tum Pontificis editus est. Quare merito asserendum videtur quod *Spiritus Sanctus speciali ratione illi adstiterit.*» Quæ, quamvis aliquatenus exagerata sint, ex his palet quanto studio et cura juvenes in Seminariis exulti catechismo addiscendo incumbere debent, ut Possevinus ait. «*Catechismus Romanus ita erit prælegendus, ut cum noverint Clerici universam Theologiam in illo includi, præcipua capita, definitiones et alia memoriae mandent,*» qui etiam lib. 7, cap. 12, loquens de libris ad jugulandas haereses percommidis in primis Catechismum numerat. (1)

Sed ut jam ad S. Pium V redeamus, si virtutes ejus omnes

(1) Bellarinus *Præfatio ad librum de Doctrina catholica*—Possevinus, lib. V *Bibliothecæ* cap. 2—apud Nat. Alex. loc. cit. cap 6.

ac præclarā gesta celebranda essent ingens deboret volumen scribi. Etenim ut ait Nat. Alex, nemo ipso liberalior ac magnificenter, nemo gratiæ privatis quibusque referendæ pro acceptis olim beneficiis studiosior, nemo ad privatæ injurias condonandas facilior, nemo ad promovendam pietatem propensior, nemo ad hæresim exterminandam ardentior, nemo novitati et errori magis infensus hostis. Quo zelo religionem catholicam defenderit, acta ejus in Elisabeth reginam Angliæ probant, de qua superius dictum est, supremi Ecclesiæ capitî locum et auctoritatem in ea insula usurpasse, variisque modis catholicos acriter insequitam esse. Hanc prætensione jure regni privatam anathemate perculit, Anglosque a juramento fidelitatis erga illam absolvit.

Nec tamen ex hoc facto aliquid infertur, unde tantus Pontifex jure reprehendi possit, quasi nempe limites suæ potestatis, reginam exauctorando, transgressus fuerit, quæ tantum in spiritualibus exerceri debet. Etenim ipse Nat. Alex, quamvis contrariæ opinionis sit, fatetur sententiam de potestate Sedis apostolicæ, reges hæreticos exauctorandi, communem plerisque theologis fuisse, et insuper superiorum Pontificeum exemplis roboratam, unde nihil novi Pius V. sibi tribuit, sed jura dumtaxat a quibusdan Decessoribus suis exercita. Agebatur præterea de muliere spuria, quæ nec jure natalium, nec Regni legibus capax erat successionis in regiam dignitatem, quæque potestate male parta ad catholicæ religionis eversiōnem abutebatur; quare Pontifex, pro suo gravissimo Religionis et fidei incolumentem servandi munere, existimavit Anglos a juramento fidelitatis absolvere se posse, seu potius declarare quod evidentissimum erat, videlicet, nullum jus Elisabeth fuisse nec esse ad regnum, nullumque esse vinculum juramenti, quo fidelitatem ipsi ac suum obsequium

A. Perrey

Angli obstrinxerant, nec teneri ad parendum impiis ejus mandatis ac legibus contra Fidem Religionem, Ecclesiam Romanam et Summi Pontificis Primum.

Cum de Pio V et Elisabetha Angliae agitur non possumus non magno dolore recordare, nuperrime in publico deputatorum Congressu hujus nostræ Hispaniæ, quæ semper obsequio et reverentia erga Sedem Apostolicam claruit, quemdam deputatum Castelar nominatum, hujus Pontificis virtutem obscurare conatum esse, calumniose affirmando, eum data epistola Philipum II impulisse ad quærendum siccarium, qui reginam Elisabeth occideret. Cum hujus calumniosæ asseverationis probationes a deputato catholico D. Manterola peterentur, quas Castelar afferre obtulit, non modica fuit bonorum omnium indignatio. eo quod iste postero die, mira audacia, non solum nullam probationem adduxit, sed contra impudentissime, quoddam opus Gachard citavit, verum ipsius sensum corrumpendo, qui tamen ad rem non erat, siquidem tantum ibi agitur de conjuratione ducis Norfolk 1571 ad liberandum Mariam Stuart ab Elisabeth in custodia detentam. Nihil de hoc dicimus, cum ab omnibus compertum sit. Illa tamen deputati republicani accusatio iterum monere nos debet, quibus artibus Pontificum hostes, ad eorum memoriam labefactandam, utuntur.

Alia plura pro Religionis et reipublicæ bono Pius V fecit, quæ jure illum inter optimos Pontifices collocant. Michaelis Baji 79 propositiones damnavit, Carolum IX Galliæ Regem milite et pecunia juvit, et quod magis est, bellum sacrum contra Turcas, infensissimos Europæ hostes, promovit, quo an 1571 insignis Victoria ad Echinadas insulas a Christianis relata est, ut infra videbimus, quam Pontifex didicit eadem hora qua pars est, et in cuius celebritatem

festum instituit *Beatae Mariae de Victoria*, ad quod Gregorius XIII ejus successor festum *Stmi. Rossarii* addidit. Tandem vitam sanctissime actam non minus sancto fine conclusit die prima Maji 1572, miraculis dum viveret et post obitum clarus. (1)

Successit eodem mense Hugo Bonecompagnus Cardinalis pietatis et sapientiae eximiae, qui sub nomine Gregorii XIII Ecclesiam gubernavit usque ad annum 1585. Is a pontificatus sui initio Principes christianos hortatus est ad instaurandum bellum adversus Turcas, jam clade Lepantina contractos, sed obstiterunt principum discordia atque cunctatio. Ad propagandam in Japonia fidem novos in eam praecones e Societate Jesu destinavit, tan felici exitu, ut paulo post Reges Japonenses oratores misserint, obedientiae erga Apostolicam Sedem testimonia deferentes. Maximo rei christianae emolumento Romae pro Maronitis, qui obedientiam promiserant Patriarchae sui confirmationem postulantes, neconon pro Græcis, Anglis aliisque nationibus diversa collegia erexit, atque etiam Romanum collegium omnium gentium et nationum fundavit, et magnis redditibus et privilegiis auxit. Optatam diu calendarii correctionem feliciter absolvit, Gratiani decretum et totius juris canonici emendationem curavit, aliaque plura præclare gessit.

Vehementer hunc Pontificem adversarii accusant, eo quod, ajunt, Carolum IX Galliæ regem adversus Calvinistas milite et pecunia juvit, et de horribili noctis Sti Bartolomæi cæde ita gavisus est, ut publicam supplicationem et festa lumina Romæ decreverit. Verum hoc falsissimum esse impartiales scriptores affirmant; si enim Pontifex primis momentis,

1) Nat. Alex. tom. IX cap. I art. 20.

illius adjuncta ignorans, ob regem a conjuratione liberatum gaudere potuit, postea re bene comperta, amaras lacrimas effudit; præterquamquod potuit ut Papa, de hac confractione protestantium lætari, quæ in Ecclesiæ bonum cedebat, quamvis ut homo privatus tale facinus deploret. Auctor noster agens de Jo. Calvino (cap. XV) hanc Capilupii calumniam breviter et energice refutat; si quis autem plura de hoc facto ad religionem defendendam cupit, cum magno fructu leget accuratam Abbatis Caveirac dissertationem, quæ tom. IX Hist Ecclesiæ Baronis Henrion continetur.

Obiit iste Pontifex 10 Aprilis 1585, cui marmoream statuam in capitolio erexit grata Civitas. Ejus virtutes hoc elogio coronat Ciaconii continuator, «Erat Gregorius in audiendis negotiis patiens, in transigendis solers, eloquio gravis, responsis opportunus, natura benignus et misericors, vietu ac potu temperantissimus, in pauperes vero et doctos beneficus, et mirum in modum liberalis.» Litterarum studio, si quando per negotia licebat, numquam intermissit, dicere solitum; *Nullum magis decere plura scire, quam Pontificem Romanum.*

Optimum postea Pontificem in Ecclesia Dominus suscitatit in persona Felicis Pereti, Frat. Min. S. R. E. Cardinalis, qui sub nomine Sixti V usque ad annum 1590 gubernavit, quique animi magnitudine, religionis zelo, justitiæ amore, rerumque gestarum multitudine ac pondere, talem celebritatem obtinuit, ut meritò totius historiæ Pontificatus decus insigne vocari debeat. Crescit autem hujus Pontificis gloria, si peculiaria illius temporis adjuncta perpendantur; talis enim erat omnium rerum inordinatio ut ad frænandam corruptionem, magna fortitudine, quam ipse adhibuit, omnino opus fuerit; quodque præcedentes pontifices repetitis labo-

ribus frustra curarunt, ipse acrioribus remediis et mira in
vitiis coercendis et justitiae legibus servandis severitate feli-
citer obtinuit. Sicariorum nempe, latronum et aliorum fa-
cinorosorum licentiam in Urbe et ditione Ecclesiastica com-
pescuit, et publicam tranquillitatem restituit, propter quod
gratulationes multorum principum accepit; nullumque fuit
vitium aut crimen, quibus Pontifex remedium non appone-
ret. Qui dum in sontes acriter intendebat, simul viduis ho-
nestis et puellis egenis providebat, ad quem finem census
annuos, ad virgines dotandas, quarum etiam Collegium ins-
tituit, atque ære alieno gravatos e carceribus eruendos, du-
centis millibus aureorum coemit.

Quanta vero debet illi beneficia Romana civitas, aedificia
magnificentissima extructa vel reparata, fontes plurimæ,
obelisca, Vaticana Bibliotheca, templa insignia, stratæque
undique viæ, perspicue testantur. Omnes etiam historiogra-
phi narrant, quæ ille pro agricultura et industria fecit, pa-
ludibus deseccaïs, præsidio 200,000 aureorum instituto,
unde pauperes agricolæ mutuo acciperent ad culturam et
collectionem pecuniam necessariam, privilegia etiam et
præmia iis qui excellerent concedens. Qui autem civilem
statum ut adeo sapiens Gubernator ordinavit, non poterat
omnem sollicititudinem non exhibere pro Apostolicæ Sedis
splendore, ita ut vix credibile videatur, tam brevi Pontifica-
tus tempore tam multa illum et egregia efficere potuisse.
Præter Congregationem S. Inquisitionis quam confirmavit,
alias quatuordecim Cardinalium congregations instituit ad
faciliorem universæ reipublicæ christianæ, statusque Eccle-
siastici et Rom. Curiæ negotiorum expeditionem. His non
obstantibus numerum Cardinalium restrinxit ad 70, quorum
sex Episcopi essent, quinquaginta presbiteri, et quatuorde-

eim diaconi cardinales, ex quibus saltem quatuor ex Ordinibus religiosis eligerentur. Vulgatam Bibliorum versionem, latinam et græcam LXX, collatis MS. codicibus, hæbraicis et græcis fontibus et patrum commentariis consultis, correctit. Denique, ut alia plura præterea, thesaurum trium millionum nummorum aureorum successoribus reliquit, certis tantum casibus et sub præscripta forma insumendum.

Hie pontifex, qui tanta magnitudinis laude claruit, innumeris fere acussationes ab adversariis subiit. Præstat illas omittere, siquidem exploratum est, nonnisi ex livore aut invidia, vel ex animo prorsus in Apostolicam Sedem male affecto, ejusmodi accusationes provenire; vel etiam ex odio et vindicta illorum, in quos ipse justissime animadvertisit. Profecto nihil mirum esse debet Sextum V nimia quandoque severitate et rigore usum fuisse, cum nulla alia via ad licentiam frenandam suppeteret; ad sanandum vero ægrotum amaritudine medicamentorum omnino opus est. Quod autem additur populum tributis ingentibus gravasse, aperte calumniosum est, tantum enim abest ut populo onera imponeret, quin potius, sicut supra significavimus, eum juvaret, de quo legi potest Liborius Tempesti in præclara Sixti V historia, quam ipse elaboravit ad refutandam alteram mendacij refertam a Geltio Ruggieri conscriptam. Ad omnes vero accusationes generatim respondemus verbis P. Vaccolini, «Ecclesiæ hostes stulte calamus et linguam adversus Sextum V acuerunt, verum Sol semper est Sol, et vi suæ lucis quascunque nubes dissipat.»

Sixto V die 27 Augusti 1590 mortuo successit Cardinalis Castaneus, qui nomen Urbani VII assumpsit, sed die duodecima ab electione antequam coronaretur, obiit. Hujus Pontificis laudes Pompejus Ugonius celebravit in Oratione fune-

bri ad Cardinales habita, quam Oldoinus tom. IV Ciaconii inseruit. In ejus locum post duos menses Cardin. Sfrondatus suspectus fuit, nomine Gregorii XIV, vir quidem castissimæ vitæ laude, temperantia, et christiana modestia spectatissimus, qui brevi decem mensium Pontificatu multa saluberrima statuit, multaque egit sui in Catholica in fidem studii, illustria documenta. Interquæ illud numerari debet, scilicet, quod principes fæderatos contra Henricum Navarræ, calvinistam, qui regnum Galliae adire tentabat, Pontifex exercitu et argento juvit, et regem ipsum excommunicavit. Magnæ quidem ex hoc turbationes in Gallia exortæ sunt, verum ista Pontificum agendi ratio non modicum bonum pro Catholica religione attulit; nimirum Calvinismi triumphum in Gallia impedivit, ipsiusque Regis Henrici abjurationem et conversionem tandem obtinuit, an. 1595, qui a Clemente VIII peramanter exceptus est atque a censuris absolutus. Obiit idibus Octobris 1591. Brevior autem fuit ejus successoris Inocencii IX Pontificatus, qui postquam Urbem totam erexerat in spem haud vanam egregii sub ipso regiminis ob preclara consilia et res inchoatas, citissima morte sublatus est die 30 Decembris ejusdem anni, cum duos tantum menses in Cathedra D. Petri sedisset.

Post hujus obitum rara Cardinalium concordia electus fuit diei 30 Januarii 1592 Hippolitus Aldobrandinus, qui simul ac suam acclamationem audivit, genibus provolutus Dominum precatus est, ut nisi ejus electio ad Ecclesiæ bonum futura esset ei vitam adimeret. Is Clementis VIII nomen assumpsit multaque gessit, propter quæ de Ecclesiæ et republica optime meritus est. Et quidem primo gravissimum illud Henrici IV negotium feliciter absolvit, ut innuimus, quo pax inter principes solidata est. Præstat autem aliquam

notitiam hujus quæstionis subiectere; nimirum cum Henricus III pacem cum Hugonotis cœmosuit eisque plenam religionis libertatem concessit, id ægre ferentes regni proceres, fædus *Ligæ sacræ* inierunt, cuius scopus erat impedire ne professio hæreseos permitteretur et ne princeps hæreticus in regno succederet. Cum autem Calvinista esset Henricus Navarræ, cui successio juxta legem Salicam debebatur, bellum civile inter ipsum et catholicos fæderatos vario utrimeque eventu usque ad an. 1593 continuatum est. Plurimum Rom. Pontifices adversus hæreticum Henricum laborarunt, eumque anathemate confoderunt, ipseque Clemens VIII ab initio Pontificatus Gallos mouuit, ne Henricum Navarræ susciperent, sed alium regem catholicum sibi eligerent, qui Ecclæsiasticam et civilem rem contra Hugonotos tutaretur. Postea vero compériens, Regem ad fidem catholicam amplectendam proclivem esse, magna prudentia et zelo labravit, donec ille ejurata hæresi fidem catholicam esset professus; cum autem nullam dubitationem de Henrici sinceritate habuit, an 1595 eum a censuris absolvit et in integrum restituit. Rex ab heresi absolutus Carnuti sub nomine Henrici IV consecratus est, et Parisios ingressus honorifice exceptus est, cunctisque præteriorum omnium gratiam concessit; in posterumque rerum gestarum præstantia et industria Magni nomen consecutus feliciter regnavit usque ad an 1610, quo à Franc. Ravaillac interfactus est.

Aliud etiam prælereundum non est, in quo peragendo Clemens VIII eximia laude dignus videtur, nimirum, quod Jubilæum ann. sœularis 1600 universo orbi christiano indixit, plenissimam indulgentiam concedens iis qui vere contriti Romæ consuetas Basilicas visitarent. Omnes ille ad tantæ gratiæ consecrationem invitavit, principesque hortatus

est, ut erga peregrinos Romam profecturos beneficentiam exercerent, et quò magis fideles undique ad visitandas basilicas adliceret, cunctas ubique indulgentias per totum annum suspendit. De Jubilæo aliqua Palma dixit, agens de Bonifacio VIII, ex quibus liquet, quantum sit populo christiano utile ac salutare, quantumque conferat ad edificationem fidelium, unitatem Ecclesiae firmandam, aliaque plura, illud celebrare.

Hoc vero si omnibus Jubilæis convenit, maxime de isto de quo nunc agimus affirmari potest. Narrat enim Spondanus, ad hunc annum, «Advenisse Romam Turcas aliquos «et baptismum suscepisse, plurimosque hæreticos, sive «curiositate sive aliis de causis allectos; qui consideratis «sanctis operibus quæ passim siebant, et præcipue Clementis VIII, qui pedes peregrinorum lavabat et osculabatur, «egenos sublevabat, accumbentibus ministrabat, confessio- «nes audiebat..... his, inquam, consideratis, non pauci ex «iisdem hæreticis, a curiositate in admirationem rapti, de- «posita omni iniqua et inepta ministrorum suorum criminatio- «ne, quod Pontifex sit Anti Christus et Roma Babilonia, «ejurata hæresi, fidem Romanam amplexi sunt.» Quod tes- timoniū ad diateria inimicorum confutanda apprime op- portunum est. Tantus vero fuit numerus peregrinorum, qui an. 1600, Jubilæi lucrandi causa, Romam venerunt, ut a ministris hospitalis SS Trinitatis quingenti mille fuerint excepti, non computata ingenti multitudine eorum, qui in propriis singulorum nationum xenodochiis, in monasteriis, in domibus privatis fuerunt suscepti; adeo ut in universum numerus eorum, qui toto hoc ann. Romam venerunt trium millionum esse credatur.

Atque hæc ad dignoscendam Clementis VIII virtutem, re-

ligionem et sapientiam satis sunt. Præter illa vero recensendum etiam est, quod viros doctos impense fovit et large remuneravit, collegia fundavit, disciplinam regularem in eænobiis restituit. Statuit etiam, adversus quorumdam Theologorum temerariam opinionem, nemini licere per litteras seu internuncium confessario absenti peccata sacramentaliter confiteri, et ab eodem absente absolutionem recipere. Denique ad dirimendas quæstiones de divina gratia inter Jesuitas et Dominicanos excitatas, celebres congregations de Auxiliis instituit, ut supra vidimus. Sedit Clemens annis tredecim et meritis plenus anno 1605, die tertia Martii pie obiit.

Ex hac autem levi adumbratione illustrum rerum a Pontificibus citatis gestarum, argumenta perspicua deduci possunt ad papatus obtrectatores refellendos. Nulla sane institutio magis hominum amorem et reverentiam meretur, quam ista divina Pontificatus successio, cui a superna Providentia videtur in terris commissa omnium iurium defensio, omnis injustitiae reparatio, omnisque veri progresus inchoatio. Et quidem nisi tales sanctissimos sapientissimosque viros Deus misericorditer in Ecclesia suscitaret, brevi non solum de religione sed etiam de civilizationis causa, imo de societate universa acturum esset. (1)

(1) De hoc capite cf. Henrion lib. cit.—Gravesson colloq. II sæc. XVI.—Nat Alex. sæc. XVI cap. I art. 20 et seq.—*Biografia Eclesiastica*, ad singula Pontif. nominis Sandio, *Vita Rom. Pont.* etc.

CAPUT VII.

De rebus ad Hispaniam pertinentibus.

Nostram Hispaniam meritò *catholice cognomen* adeptam esse, ex levi consideratione eorum, quæ pro Religione amplificanda atque tuenda quovis sæculo fecit, abundè liquet. Etenim præterquamquod ipsa veram fidem a primis Evangelii præconibus accepit, numquam deinceps illam aliqua macula fædavit, nisi forte ad breve tempus excipientur quidam miseri nebulones, qui tamen pristinæ fidei nitorem penitus obscurare non potuerunt. Multos etiam habuit omnis generis viros pietate et scientia conspicuos, sanctitatisque laurea decoratos, alque, ut verbo dicam, ipsa semper devotione, morum integritate, disciplinæ studio, religionis et fidei observantia claruit. Sæculo vero XVI, quod *sæculum Hispanorum*, a non paucis scriptoribus vocatur, tales res tamque insignes nostra natio pro catholica causa præstitit, ut inter nationes de Ecclesia longe benemeritas, absque dubio primum locum obtinuerit.

Atque in primis veram Christi fidem in remotissimas Americæ et Indiarum regiones detulit, florentissimamque mundi partem, innumerisque animas Christo lucrifecit. Sub finem sæculi elapsi Cristobal Colon, sub auspiciis Ferdinandi et Elisabeth regum, an. 1492, superatis vasti pelagi fluctibus primas Novi Mundi insulas detexit, paucisque post annis (1497) Americus Vespucius, Colonis vestigiis insistens, Mexicanum sinum aliasque Terræ firmæ regiones pro Hispa-

niæ regibus exploravit, atque ita præcursoris sui celebritatem adeo superavit, ut ab ejus nomine, hoc novum hemispherium *America* appellatum fuerit. Simul autem et ex æquo Catholici reges curarunt suam dominationem in prædictis terris firmare, veramque Christi fidem propagare, quod utrumque assequunti sunt, tum per militum animum et ardorem, tum per missionarios, quos Hispani exploratores secum ducebant, atque etiam per alios, qui deinde, propagandi Evangelii studio, é Rom Pontif. auctoritate et sub auspiciis Regum Hispaniæ in illas terras profecti sunt. Qua in re peculiarem mentionem meretur celebris Bartolomeus de Las Casas, Hispalensis, ex ordine Fr. Prædicatorum, Episcopus Chiapæ, qui apostolico ardore succensus ineunte hoc sæculo in Americam profectus, non solum annis multis, convertendis ad christianam religionem insulanis, adlaboravit, verum etiam nihil omisit ut illos ab immanitate quorumdam gubernatorum liberaret; in quem finem iteratis vicibus oceanum pernavigavit, ut coram Carolo V insulanorum causam et jura defenderet, adeo ut non solum Apostolus, sed etiam Pater et protector illarum regionum haberi possit. (1)

Verum postquam Hernandus Cortés vastissimam regionem Mexicanam Hispanæ dominationi subegit ann. 1521, et deinde Franciscus Pizarro Peruviam invenit, et capto ac occiso ejus imperatore Atabalipa subjecit, amplissimus campus evangelico missionariorum ardori patuit, qui non tantum ut nonnulli accusarunt, illam ditissimam venis auri et

(1) De hoc viro vere Apostolico conf. *Biograf. Ecclesiastica completa* tom. III pag. 483. Obiit 1556.

argenti regionem, cupiditatis gratia, lustrarunt, sed potius
ardentissimo desiderio spirituales illuc et veras fidei divitias
afferendi. Ubique Religionis propagationi multa obstabant,
principue indigenarum barbaries, eorum ab Hispanis aver-
sio, et mos de loco ad locum migrandi; sed missionarii, qui
præsertim e clero regulari assumebantur, neque labori ne-
que incommodis pepercerunt, ut indigenas populos ab idolo-
rum cultu, a superstitionis ritibus, ab inculta vivendi ratio-
ne, ad veri Dei cultum et ad christianam et humanam vitæ
rationem converterent. Jam ab ann 1524 in Mexico sinodus
celebrata legitur secundum formam canonicam, in qua po-
ligamia aliaque vitia inter indigenas communiora, fuerunt
severe prohibita, et præter alia sive ad preparandum ad
baptismum neophitos, sive ad confirmandos in fide baptiza-
tos constituta, decretum est, ut viri baptismum petentes,
uxores suas dimitterent, una excepta, quam ritu sacro du-
cerent: aliaque postea concilia celebrata sunt. His missio-
nibus reges Hispaniæ potentem opem ferebant; et quum jam
non solum ex Europæis qui in illas terras transibant sed
etiam ex Americanis Ecclesiastici cætus fierent frequentio-
res, Paulus PP. III, supplicante Carolo V imperatore, va-
rios episcopatus et archiepiscopatus illic creavit.

Subsequentes etiam Pontifices has missiones foverunt, ut
antea innuimus et deinceps fusius dicemus. Uberrimos au-
tem fructus Evangelii semen ibi produxit, quamvis gravia
pericula et plura obstacula climatis, ferarum, hominumque
fuerunt missionariis superanda, ex quibus multi atrocissima
supplicia et mortem subierunt. Ex quo factum est ut religio
catholica admodum in America firmata fuerit, plures illic
Ecclesiæ formatæ sunt sicut in Europa, atque in diœcesibus
collegia, seminaria et monasteria erecta; conciliaque fue-

runt frequentiora. Inter quæ celebris est ann. 1582 sinodus Limæ Peruviae metropolis habita, in qua fidei dogmata fuerunt explicata et disciplina composita secundum Concilii Tridentini definitiones et decreta. Hoe vero magnum Hispanorum decus est.

Nihil autem jam est mirum, quod Hispani, qui tali zelo fidem catholicam in remotissimas plagas deferendam satabant, eamdem fidem in propria domo accuratissime servarent. Immanes quidem sed irritos conatus plures fecerunt discussionibus, libris, aliisque mediis ad diffundendas in Hispania Protestantismi nebulas, verum ab ista clade, quæ universam Europam infecit, nostra natio servata fuit immunis. Hoc vero, si illa rerum adjuncta spectentur, animorumque dispositio et ad novitates proclivitas, non potest non argumentum suppeditare, unde appareat, quam alte vera fides in cordibus proavorum nostrorum reposita esset. Quod magis ipsis honorificum est, si ratio habeatur frequentioris cum hæreticis communicationis, etenim naves nostræ universa maria circuibant, et milites nostri continuò in locis protestantismo infectis morabantur, ex quibus etsi multi in patriam reduces vitæ licentia et ingentibus vitiis onusti venirent, vix ullus aut alter defectionis a fide reus evassit.

Ista vero Hispanorum pristinæ fidei observantia forsitan insufficiens ad hæresim vitandam fuisse, nisi zelus Regum et Episcoporum in eundem finem laborasset, et præcipue sacrum Inquisitionis tribunal, de quo jam superius locuti sumus. Vix enim Vallisoleti, Hispalis et alibi Protestantismus caput attollere tentavit, illico sacra Inquisitio novatibus fortiter restitit, et in novatores severe animadvertisit; quamobrem salutaris in hæreses horror quosdam turbulen-

tos animos repressit. Quod similiter evenit cum alia quādam obseciorum hominum secta, Illuminatorum (*los Alumbrados*) dicta, cuius auctores duo clerici Emeritenses (1574) fuerunt, qui spiritum quemdam illustrationis effuentes, omnia praecepta damnabant, severioremque vitæ rationem fingeant, ut liberius concupiscentiis indulgerent. Hi quidem plures incautos, adeo specioso praetextu deceperunt, donec ab Inquisitione cogniti, non sine magno animarum bono, damnati sunt.

Et quidem nisi talēm severam agendi rationem, ii, quibus fidei depositum servare commissum erat, adhibuisserint, horret cogitare quousque calamitatis et miseriae nostra natio deventura fuisset. Legendus est celebris Balmes, cuius judicandi rectitudinem omnes norunt, ut confestim apparet, quamtam cladem Hispaniæ protestantismus intulisset. Nimirum proximus, ait ipse, ex introductione Protestantismi in Hispaniam census fuisset, sicut in aliis regionibus, bellum civile, quod nobis sane ob peculiaria et critica adjuncta lugendum maxime et fatale fuisset. Ac primo quidem monarchiae hispanicæ unitas nullo modo excusiones perturbationesque intestini dissidii, incolmis perferre valuisse, siquidem ex elementis tam diversimode mixtis coalescebat, partibusque, ut ita dicam, adeo leviter conglutinatis, ut vel minima collissio ligamentum solvisset. Leges enim et habitus regnorum Navarræ et Aragoniæ ab ilis Castellæ plane differebant; ardens independentiæ desiderium, frequenti Deputatorum congressu (*Las Cortes*) roboratum indomitis illis populis insidebat, qui absque dubio primam occassionem non præteriissent jugum sibi non amabilem extiendi. Accedit quod factiones provincias dilacerassent, sicque regnum misere in frustula divisum esset, eo præsertim

tempore, quo magis in Europa, Africa et America magnis negotiis attendere debebat. Præterea Mauri adhuc in foribus aderant, nec judæi Hispaniæ obliti fuerant, quibus omnibus absque dubio nostra dissidia maxime profuissent. Forsitan a Philippi II agendi ratione politica, non modo tranquillitas, sed etiam hispanicæ monarchiæ existentia peperdit.» (1)

Ex quibus patet quantum unitas religiosa Hispanis necessaria esset, quam etiam in omnibus sibi subditis locis accurate servari curarunt, etiam vi armorum abhibita, ad coereendos reformationis progressus in Belgio, Flandria et alibi, ut superius diximus cum de Protestantismi propagatione disseruimus. Atque ex eadem omnino causa antea factum est, ut celebratio Concilii Trid. maxima ex parte Hispanis deberetur. Non modicæ quidem difficultates tum in ipsa Roma, tum ex parte principum, tum ex parte ipsorum Protestantium Concilii cōvocationi obstabant, de quibus non est hujus loci pertractare; verum etsi jam protestantes, qui ab initio Concilium generale petierant, viderentur eidem non esse submissuros, nihilominus concilium habendum, juxta antiquam Ecclesiæ praxim in talibus adjuntes, Episcopi et Theologi Hispani censuerunt, quorum consilio imperator Carolus V permotus, omnem operam adhibuit, ut illud negotium ad optatum effectum perduceretur. Et quidem solemni ejusdem inaugurationi tantum Oratores Caroli V interfuerunt, non pauci que Episcopi Hispani, qui etiam cum de translatione concilii actum fuit fortiter restiterunt; hi etiam plurimum in de-

(1) El Protestantismo comparado etc. cap.

cisionibus concilii citius peragendis laborarunt, nullaque fuit alicujus momenti disceptatio quam non ipsi sapienter aggrederentur. Demum, ut alia præterea, nulla alia natio, Italia excepta, plures Episcopos in Concilium missit; nec etiam Hispania prius ullum regnum illius decreta et decisiones, absque ulla restrictione accepit, pluribus sinodis provincialibus in hunc finem celebratis.

Si autem politicæ rationes quandoque aliquas differentias inter Hispaniæ reges et Rom. Pontifices excitarunt, nihilominus iste numquam tales fuerunt, ut nostram Sedi Apostolicæ adhæsionem et reverentiam minuerent, immo vero aliqua ex eis in magnum Ecclesiæ universæ et totius Europæ bonum cessit. Talis e. g. fuit illa, cui promulgatio Bullæ *In Cœna Domini* a S. Pio V data, an 1568 occasionem dedit. Non patiuntur limites huic operi præfixi de hac bullæ singillatim disserere, sic dictæ quia ad tempora usque Clementis XIV quotannis in feria quinta Majoris hebdomadæ prælegi seu promulgari solebat. Bulla hæc eius originem nonnulli scriptores ad tempora Gregorii V referunt vel etiam Bonifacii VIII, quamque subsequentes Pontifices variis additamentis auxeré, plures excommunicationes Sedi Apostolicæ reservatas minatur in haereticos eorumque fautores, appellantes a Papa ad Concilium generale, imponentes gabellas clericis, aliaque hujusmodi. Cum hanc bullam S. Pius V per universum Orbem promulgari jussisset eo maxime cōsilio, ut Ecclesiæ ministri ubique a tributis, vectigalibus, aliisque oneribus, quæ subditi Principibus pendunt, liberi essent, pœna excommunicationis proposita iis, in quorum Ditionibus illa exigenterentur, cum prohibitione absolutionis; id ægre admodum tulere Philippus II Hispaniæ Rex et Serenissima Venetorum respublica quod moribus in eorum ditionibus receperunt.

is illa Constitutio repugnaret. Pontifex interdicto minatus est, ejus tamen jussa nec Hispani executioni mandarunt, nec Veneti; quamobrem sacri interdicti legibus in eos agere de-creverat, nisi gravissimum imminentis contra Turcas fede-ris negotium a severiori consilio ipsum deduxisset. Pontifex et Principes memorati, veriti ne inter ipsos lethalis scissio exurgeret, talibus dissidiis oblitis, serius pacem firmare et de bello contra Turcas gerendo agere cœperunt.

Et quidem ab illis Europa universa trepidabat; sciebant enim omnes ipsorum ruinam negotium vitæ aut mortis Europæ esse. Admodum enim illorum potentia creverat, cum universi Mediterranei domini essent, Græciæ et Hungariæ potirentur, insulasque Melitam et Chium occuparent, insuperque an. 1570 Selimus II bellum Venetis intulit, insulam Ciprum iis subditam, rededit, grandemque in iis stragem edidit. Quapropter Pius V nihil omissit ut eorum progressus cohiberet, et cum Philippo II et Senatu Venetorum ingentem classem contra illos instruxit, cuius imperatorem Dom. Joannem Austriacum, Catholici regis fratrem declaravit. Is quidem Turcas die 7 Octobris 1571, ad Echinadas insulas in sinu Lepantico, felicialeo successu debellavit, ut victoriam omnium quæ in mari conspectæ sunt, maximam, de iis tulerit. Universa fere hostium classis in fæderatorum potestatem venit, Turcarum vigintiquinque millia cum suo duce Ali Baxa cæsa, decem mille capti sunt, et etiam centum de-cem et septem triremes prædatæ, et quod plurimum valet, plusquam quindecim millibus mancipiorum christianorum li-bertas reddita est. Hæc victoria terrorem tantum Turcis intulit, ut Sultanus Selimus, timens ne per suam absentiam res in regno ad rebellionem proclivi mutarentur, Constanti-nopolim confestim citatis itineribus se transtulerit. «Sicque,

ait comes de Beaufort, civilizationis christianæ causa vicit, et in perpetuum ab Europa Islamismi barbaries fuit expulsa.» In hujus victoriae memoriam, celebritatem institutam superius significavimus.

Vix credibile videtur ad quem splendoris et potentiae gradum sub Philippo II, Hispania pervenerit, et præcipue cum post obitum Sebastiani regis, Lusitanæ regnum sibi conjunxit. Quem Philippum II, etsi aliqui civilium rerum scriptores vehementer accusent, nihilominus eum in Ecclesiastica historia omnino laudare necesse est. De quo hoc elogium Natalis Alexander tradit, «Princeps, inquit, in politicis rebus administrandis eximius, in adversis constans, consilio melior quam manu, de quo scite a quopiam dictum est, *Neminem absque motu plura movisse.* Quippe qui domi sedens negotium cæteris per cunetas fere Orbis regiones faccessiverit. Immortali certe laude dignus, quod Hispaniam ab hæresi quæ alia regna infecit, puram illibatamque servaverit. Cujus dominationem nisi fastus incredibilis et severitas immanis dedecorassent, inter absolutissimos Principes numerari posset ac celebrari.» Quæ postrema verba homini quidem parum Hispanis amico dimittenda sunt.

Accuratissimus fidei, disciplinæ morumque integritatis zelator Philippus II fuit, cujus protectione et opera maxime Ecclesia Hispanica hoc sæculo floruit. Nihil de Ordinibus religiosis dico, qui hoc sæculo Eccam exornarunt, ut supra dictum est, quorum plerique in Hispania originem habuerunt, aut saltem ad maximum splendoris apicem evecti sunt. Si quis vero omnes viros, fæminasque, virtute, litteris, pietate conspicuos percensere vellet, profecto integrum deberet volumen scribere. Plurimos enim hujus sæculi hispanos Sanctos in altaris colimus; theologi vero hispani in cone,

Tridentino non solum cæteros aliarum nationum superarunt, sed etiam omnes eruditione sua in admirationem sui rapuerunt, ipsisque frequenter gravissimum munus canones redactandi commissum est, etenim præler sacram scientiam, utrumque jus, linguas, reliquasque scientias apprime callebant. Si autem multitudo præstantium unde quaque virorum argumentum suppeditat validissimum moralitatis et litteraturæ cujuscumque epochæ, merito de hoc sæculo tamquam felicissimo gratulari debemus.

Neque aliter quidem evenire poterat, si universitates hac epocha florentes vel denuo erectas consideremus, collegiaque in eis instituta, seminaria, aliasque similes institutiones; ubi accurate notandum est pleraque illorum ab episcopis et ecclesiasticis viris fundata fuisse. Etenim paucorum annorum spatio plusquam decem et octo Universitates constitutæ sunt, atque quadraginta et amplius collegia pinguibus redditibus dotata, ut alia plura præteream. Atque hinc patet, quid responderi possit et debeat iis hominibus, qui nostris temporibus clerum velut perpetuum illustrationis inimicum traducere audent, quamvis exploratum sit præcipue Clericos quovis tempore universas scientias coluisse; dum enim magis sacra Inquisitio invalescebat, tunc speciatim per tota etalia media scientiis ac litteris tradendis consultum est.

Denum, ut huic capiti finis detur, inter hispanas laudes præteriri non debent Bibliorum poliglotæ versiones magnis sumptibus et laboribus factæ a Cardinali Cisneros, tum etiam illa Regia vocata quam quinque linguis, juxta castigatissimos codices, jussu et favore Philippi II Antuerpiæ edidit Arias Montanus, magno Ecclesiae et Reipublicæ litterariæ bono, quod quidem opus totius bibliæ eruditio[n]is promptius thesaurus jure vocari potest.

De disciplinæ vero Ecclesiasticæ statu, cæterisque hujusmodi, necnon de religiosarum artium et bonarum litterarum progressu, commodius sæculo insequenti agendum erit, ubi etiam clarius apparebit qua fidelitate et obsequio Conc. Tridentini saluberrimæ dispositiones in Hispania ad effectum perductæ sunt. (1)

Nihil autem de rebus Hispaniæ politicis et militaribus dico, siquidem hoc ad historiæ profanæ scriptores proprius spectat. Si vero iis, quæ compendiose et breviter de Ecclesiæ statu dicta sunt, ista adderentur, prælia nimirum, nationes subactæ, victoriæ, potentia, aliaque hujusmodi, statim appareret quanla ratione sæculum XVI, *Hispanorum sæculum* dici posset.

Memores igitur gubernantes nostri esse deberent Hispaniam magnam et illustrem hoc sæculo fuisse, quia vere religiosa fuit. Si vero cum illo sæculo comparamus hanc nostram ætatem, in qua pretiosissimus fidei, unitatisque religiosæ thesaurus, a nostris patribus adeo accurate servatus, tamquam nihili habitus est, et in publico Deputatorum congressu despectus, materiam tantum lachrimarum et luctus inveniemus. Deus quidem, cuius judicia inscrutabilia sunt, hanc cladem nostræ nationi evenire permisit, verum etiam ab ejus misericordia fidenter sperare debemus, quod brevi meliores dies fulgebunt. Interim nos omnes juxta monitum Petri *fortes in fide* adversariis resistamus, pro cuius conservatione, ut Pauli verbis utar, *reposita est nobis corona justitiae*; si tamen opera nostra fidei nostræ consona sint.

(1) De hoc capite cf. Mariana, *Historia de España*, La Fuente, *Historia Eclesiastica de España*, tercer periodo, secc. I cap. IV y siguientes.—Illmo. D. Félix Amat. *Historia Eclesiastica de España* lib. XJII y la *Historia General de la Iglesia de España*, por el Rdo. P. Ramon Buldú, añadida á la de Henrion.

EX SÆCULO XVII.

CAP. VIII.

De Ecclesiæ statu sæculo decimo septimo.

Quæ haecenū disseruimus, qualis esset Ecclesiæ status sæculo XVII ineunte, aliquatenus significare possunt. Et quidem uberrimi concilii Tridentini fructus hoc sæculo collecti sunt, cum abusus ubique extincti sint, morumque reformatio et disciplina juxta illius decreta viguerint. Immo si Mr. Receveur fides habenda sit, tamquam una ex illustrioribus Ecclesiasticæ Historiæ epochis hoc sæculum absque dubio spectari debet, tum ob magnitudinem religiosorum factorum, tum etiam ob præclara opera in illo christianæ inspirationis influxu perfecta. «Et in primis quod magis miratur in fideique triumphis resplendet, in ipso videtur; fortitudo nimirum martyrum, indefessi labores et fructus apostolatus, reformatio veterum Ordinum religiosorum, magnaue copia novarum institutionum, vel ad diffundendam inter fideles pietatem, vel etiam ad promovendas in Clericis sacerdotales virtutes. Aliunde nullum forte fuit unquam sæculum,

quod majorem numerum præstantium ingenio virorum habuerit, aut plura scripta dispositione ac eruditione clario-
ra produxerit, etenim theologia, philosophia, eloquentia, his-
toria, jus canonicum, polemica, critices, sacra exegesis,
uno verbo, omnes ecclesiastice scientiae, in hoc sæculo, mi-
rabili splendore, fructuque incomparabili exultæ sunt.» (4)

Quod Sorbonici Doctoris et professoris judicium apprime
cum rei veritate convenit. Ex his vero patet, quid de Mr.
Macquer Advocatus parisiensis opinione sentiendum sit, qui
talem hujus sæculi ideam in sua Historia Ecclesiastica sup-
peditat, quasi unice lectorum suorum bona fide abusi pro-
positum haberet. Hic quidem non solum sæculum XVII ve-
lut infaustum traducit, funestisque characteribus ab omni-
bus præcedentibus distinctum, verum etiam quod maxime
in hoc sæculo vituperabile est, ipse amplissimis laudibus
prosequitur. Jansenistas dico, qui misere Ecclesiam dilace-
rarunt, gravesque et diuturnas turbas in ea excitarunt eō
periculosiores, quo earum auctores singularem morum seve-
ritatem ostentaret. Ecclesiae fidem et communionem se re-
vereri profiterentur, et ementito erga Apostolicam sedem
obsequio ejus auctoritatem convellerent. Quos lupos ovina
pelle indutos revera esse, ex iis quæ postea dicturi sumus,
luculenter constabit. Atque etiam ex germana rerum, qua-
rum pertractionem suscipimus, notitia, facile adversus
Macquer colligetur, utrum jure vocari infaustum sæculum
XVII possit.

Vehementer præterea idem auctor errat, cum de fine
Congregationum *de Auxiliis* loquens, ita disserit, quasi nem-
pe Ecclesia sententiam contra Molinan ferre debuerit, tum

(4) Receveur Hist. Ecc. lib. XLII.

etiam cum ait, ex Moliniani systematis tolerantia naturaliter consequi, quod dubiæ doctrinæ de gratia fiant, necnon omnes veritates ab eadem doctrina de gratia manantes, in perturbationem veniant, obscurerenturque. Hoc vero quantopere Ecclesiæ injuriosum sit, nemo non videt. Etenim a Conc. Tridentino in sess. VI adeo perspicue doctrinæ de gratia et justificatione tradita est, ut nullus in posterum relinquatur dubitandi locus. Supponere autem præcipuum istud fidei catholicæ caput aliquando in obscurationem devenire potuisse aut posse, plane absonum est. Illæ quidem de gratia concertationes, sub hujus sæculi initiiis ita Pauli V jussu terminatae sunt, ut unicuique scholæ suam sententiam velut catholicam defendere, liberum esset. Nihil vero addimus iis, quæ superius dicta sunt, ad Ecclesiam ab omni oppugnatione, harum concertationum occasione, defendendam: ubi etiam sufficienter exposuimus, quid de hac re nobis in præsentiarum tenendum sit.

Equidem non diffitemur Ecclesiam, durante hoc sæculo, gravibus tempestatum fluctibus suis jactatam. Ferventiora enim erant in dies et acerbiora hæreticorum dissidia, quæ misere diuturnis et cruentis bellis universam fere Europam exagitarunt, donec infausta Ecclesie pace Westphalica composita sunt. His accesserunt tenacissime jansenianæ lites, atque aliorum hæreticorum econamina. Necnon etiam inter ipsos catholicos gravissimæ concertationes habitæ sunt, inter quæ illa celebris Cleri Gallicani declaratio non modicam commotionem excitavit. Verum ex his omnibus Ecclesia divinæ providentiae auxilio incolomis servata est, quod numquam sane ei periclitanti defuit. Dedit namque Ecclesiæ suæ Deus doctissimos, pios, prudentes, vigilisque Rom. Pontifices, qui Petri naviculam in mediis jactati maris undis sa-

pientissime gubernarunt, excitavitque plurimos egregios scriptores, qui libris suis eam defenderunt. Quod autem maximi faciendum est, multi populi novi in veram Evangelii lucem a missionariis vocati, Ecclesiæ hoc sæculo aggregati sunt, aliique ab ea extorres in ejus sinum redierunt.

Et hæc quidem, tum ad exhibendum generatim hujus sæculi historicum conspectum, tum ad ostendendum ordinem nostræ narrationis, sufficiunt. Nunc autem aliqua de quarumdam Ecclesiarum particularium statu breviter dicenda sunt, de quibus in tractationis decursu non ita commodius ageretur. Itaque ab Ecclesia græca exordientes, omnes sciunt quam miser ipsius status esset, ex quo tempore Turcæ Constantinopoli potiti sunt. Græci enim a Turcis variis modis vexabantur, nec nisi plurimi æris pretio religiosa iis libertas concedebatur. Quamvis autem unio Eccæ Græcæ cum Romana in Conc. Florentino decreta, fructu suo maximam partem fuerit frustrata; complures tamen Græci etiam integri cætus in ea perseverarunt. Istorum vero numerus multum auctus fuit, cum post Constantinopolim captam, in Italiam, Hungariam, Poloniam aliasque terras migrarunt. Ipsos lutherani seducere tentarunt, rati plurimum sectæ sua interesse, si ab Ecclesia Græca approbaretur; in quem finem an 1574 confessionem augustinam in græcum versam ad Jeremiam Cp. patriarcham misserunt, rogantes ut judicium suum de fide Græcorum conformitate ad eos rescriberet. Verum patriarcha non solum prædictam confessionem reprobat, sed illos præterea arguit, quod veteris et novæ Romæ doctrinam oppugnarent, et antiquis utriusque Ecclesiæ theologis sua commenta anteponerent.

Quod vero Lutherani frustra tentarunt, idipsum magna ex parte Jesuitarum labores assecuti sunt, ut plurimi nempe

Græcorum a schismate ad unionem redierint. An. 1594 Michael Ragoza metropolita Kiovensis episcopos sibi subditos convocavit Brestam in Lithuania, habitaque sinodo unionem cum Romana Ecclesia suscepérunt, cuius rei instrumentum Romam per episcopos duos misserunt. Clemens Pp. VIII eos latus exceptit, fidemque Rom. Ecclesiæ et obedientiam Apostolicæ Sedi professos, ad communionem admissit; simulque indulxit ut ritibus græcis, ab Ecclesiæ non reprobatis, ute-
rentur. Episcoporum ad unitatem catholicam redditum ma-
xima cleri et populi pars secuta est. Sub initiis etiam hujus
sæculi, Constantinopoli aliisque in civitatibus, numerus
Græcorum cum Apostolica Sede unitorum plurimum crevit
opera præsertim missionariorum Jesuitarum, qui sub am-
basciatorum principum Occidentalium præsidio, per totum
Græcum imperium magno cum successu schismaticorum et
hæreticorum conversioni adlaborarunt. Inter alia, quæ ci-
tari possent, an. 1614 duo patres Jesuitæ Constantinopoli
transierunt in Mingreliam antiquam Colchidem, cuius inco-
læ christiana sacra sed erroribus deformata conservarant,
ubi non obstante populi feritate non sine magno fructu mis-
sionem auspicati sunt.

Nec solum Ecclesia Graeca ad unionem cum Ecclesia Ro-
mana adeo laudabiliter properabat, sed præterea fortiter
Protestantismi novitatibus obsistebat, avitamque a Patribus
tidem tuebatur. Quemadmodum enim Lutherani ita et Cal-
vinistæ impetrare conati sunt, ut sua doctrina ab Ecclesia
Græca approbaretur, hujusque secum consensum contra ca-
tholicos jactare possent. Ad hanc rem opportunus iis visus
fuit Cyrillus Lucaris, Cretensis, quem pecunia et artibus cor-
ruperunt, ut eorum doctrinam inter Græcos diffunderet,
Hic Patavij litteris vacarat et præcipue Genevæ calvinianæ

hæreseos capitabiberat, qui in Græciam redux, sacerdos factus et archimandrita in Lithuania missus est, et an. 1610 electus patriarcha Alexandrinus, initam ante aum doctoribus calvinianis amicitiam litteris continuavit. Ann. 1621 ad patriarchatum Constp. terminum suæ ambitionis enectus, calvinianos suos errores audacius prædicavit, unde tantum Græcorum odium in se concitavit, ut eum Sede privatum Sultanus in insulam Rhodum relegaverit. Sed postea Angli Oratoris intercessione restitutus, et audacior factus, an. 1629 fidei confessionem, calvinianæ hæresi prorsus conformem, Ambasciatori Hollandie obtulit, quam latine redditam Calvinistæ velut Ecclesiæ Græcæ germanam fidem venditarrunt. Verum Cyrillus Lucaris propter hoc facinus et propter hæresim confestim a suis depositus fuit, donec tandem post varias vicissitudines, ann. 1638 in turrim maris Nigri conjectus, jussu Sultani, ob seditiosas machinationes laqueo suspensus fuit. Eodem anno Cyrillus a Berœa, illius in Sede Contp. successor, cum patriarchis Alexandrino et Hierosolimitano et viginti tribus Episcopis Constantinopoli synodum habuit, in quo Calvinianæ confessioni atque Cyrillo Lucari anathema dictum est, quod similiter in altera synodo an. 1642 sub Parthenio Patriarcha habita, evenit.

Hac occasione etiam Petrus Mogilas, Metropolita Kiovensis, una cum suffraganeis suis et theologis fidem Ecclesiæ Russicæ testatus est in symbolico libro, cui titulus, *Declaratio fidei Russorum*; qui liber an. 1643 a Constantinopolitano aliisque patriarchis Græcis subscriptus, orthodoxa fides omnium Græcorum dictus, et postea in pluribus synodis approbatus, in universa Ecclesia Græca auctoritatem consequens est. Atque hic obiter dicendum quomodo Ecclesia Russica, Græcæ filia ab ista processu temporis facta sit indepen-

dens. Videlicet Ecclesia Russica eodem schismate ac Græca a Romana Cathedra erat separata. Joannes Basilides, Russorum Cæsar, sæculo præcedenti, infelici bello cum Polonis implicitus, Gregorii PP. XIII interventum ad impetrandam pacem postulavit, sive quæ fecit Ecclesiæ Russicæ cum Romana uniendæ. Pontifex an 1581 in Poloniam et Russianam legatum missit Antonium Possevinum Jesuitam, qui pacem inter Stephanum Poloniae Regem et Basilidem Russiæ Cæsarem conciliavit, et cum Basilide sæpius contulit, ut cum suis relieto schismate, ad Rom. Eccœ obsequium rediret; verum Basilides, pace constituta, unionis consilia abjexit. Porro Ecclesia Russica hactenus ad patriarchatum Constantinopolitanum pertinuerat; sed an. 1589. Jeremias Patriarcha Cp. postulante Russorum cæsare, ei proprium concessit Patriarcham, Moscoviae residentem, qui quidem a Russis eligendus, sed a patriarcha Cp. confirmandus esset, huncque in gravioribus negotiis consuleret. Sed postea etiam huic confirmationis juri, an 1660 Patriarcha Cp. petente Russorum Imperatore, et cæteris Græcis Patriarchis consentientibus, renuntiavit. Sic Eccl. Russica a Græca facta est independens, communio autem inter utramque perduravit. Hæc autem communio dum aliqua evenit quæstio inter ipsas, inutilis plane, immo rixarum causa est; hoc enim est proprium quibuscumque Ecclesiis, ab unitatis centro, Romana scilicet Petri Cathedra, separatis, quod magis ac magis quotidie inter se dividuntur, seindunturque.

Verum non obstante mox memorata Calvinismi a Græcis damnatione, nihilominus Calvinistæ, duce quodam Claudio, consensum doctrinæ suæ cum Ecclesiæ Græcae doctrina, etiam scriptis contra catholicos jactare non erubuerunt. Hinc Nectarius Patriarcha Cp. ad calumnias et convicia

Claudii Galli responsum dedit, in quo doctrinas Lutheri et Calvinii dixit absurdas, quæ totum Occidentem perturbarient, et ab Ecclesia Græca numquam probatae fuerint. Quoniam vero Hugonoti ad consensum Orientalem, præcipue circa Eucharistiam provocare non cessarent, an. 1672 Dositheus Patriarcha Hieros. synodum convocavit, in qua nova fidei confessio edita est, quæ in confutandis Calvini erroribus fuse versatur, (sub titulo *Clipus orthodoxæ fidei seu apologia adversus hæreticos Calvinistas.*) Tandem cum Joannes Caryophiles, logotheta, Calvinianos Lucaris errores suscitare tentasset et transubstantiationem impugnasset, Callinicus patr. Cp. an. 1691 synodum coegit, in qua doctrina de conversione vera et substanciali panis et vini in Corpus et Sanguinem D. N. J. C. declarata est ab Apostolis accepta et semper in Ecclesia tradita: et ad eam exacte exprimendam, vocabulum *methesiosis*, quod latino *transubstantiationi* respondet, jam a longiori tempore Græcis usitatum, publica auctoritate sancitum fuit. Quæ omnia monumenta non modice conferunt ad vindicandam catholicam doctrinam contra criminaciones novatorum, qui eam mediis sæculis a scholasticis, monachis, et pontificibus adulteratam fuisse effutiunt. (1)

Quantum vero spectat ad statum Ecclesiarum Orientalium a Græca, orthodoxa dicta, separatarum, quæ Nestorianorum et Monophysitarum nomina retinuerunt, quamvis saepius istis hæresibus renuntiassent; plures earum unionem cum Rom. Ecclesia, (sæculis præcedentibns, præcipue tempore Conc. Florentini initam, sed diversis ex causis aut interrup-

(1) H. Wouters cp. XI.—Aizog. *Hist. Ecc.* § CCCLVIII et seq.—Amat de Graveson.—*Hist. Ecc. sæc. XVIII* colloquium IV. Lequien *Oriens christianus.*

tam autem languentem) durante hoc saeculo renovarunt vel primum inierunt. Nestoriani scilicet uniti veteris Assyriæ prioribus hujus saeculi annis nova unionis sue cum Rom Ecclesia argumenta dederunt; quippe eorum Patriarcha Elias, qui sedem suam habebat Urmiae in Persia, dum schismaticorum Patriarcha residebat Mosulæ, per oratores Romanum missos, subjectionem quam antea Abd-Issu Pio IV exhibuit, ipse Paulo V confirmavit, et omnes qui Romanam Ecclesiam ceu communem matrem non agnoscerent, excommunicatos pronuntiavit. Paucis ante annis Alexis de Meneses, Archiepiscopus Goanus et in India Lusitanica regis munere fungens effectit, ut in synodo Diamperi 1599 Nestoriani doctrinam et instituta catholica acceptarent; quo facto eorum episcopus Romanam missus est, ubi Patriarchatui Mossulensi renuntiavit, Pontifici obedientiam juravit, et ab eo sacram ordinationem accepit.

Similiter Jacobite seu Monophysitæ in Abyssinia magno numero degentes unionem cum Pont. Rom. perfecerunt. Plures quidem Jesuitæ in illis convertendis martyrio functi sunt, sed etiam an. 1607 regem Seguedum Religioni catholice adeo conciliarunt, ut haereses Eutiquianæ professionem sub pena capitis proscripterent; quo facto populus saepius quidem in seditionem prorupit, sed semper a rege represus fuit. Postea Urbanus VIII Alphonsum Mendez, Jesuitam, Episcopum et Patriarcham Abyssinæ denominavit, qui an. 1625 in hanc terram venit. Tunc Rex cum omnibus aulicis obedientiam Rom. Pontifici juravit, praescripsitque ut omnes Abyssinii fidem et ritus Romanos sequerentur; sed cum multi a monachis excitati, armata manu resisterent, religionis libertatem subditis restituit. Basilides vero, Seguedi an. 1632 mortui filius et successor, Patriarcham aliosque Jesuitas ex-

poliatos et male tractatos e regno dimisit in Indiam; cæteri qui remanserant interfecti sunt, quare eorum unio parum etiam perduravit.

Ex his vero patet, quantos conatus catholica Ecclesia quovis tempore fecerit, ad filios dispersos in unum colligendos, ut in posterum non esset in mundo nisi unum ovile et unus Pastor. Illæ quidem Ecclesiæ, velut plantæ ab unitatis horto avulsæ et aliò translatæ, virescere et fructum ferre non possunt; quapropter omnem sollicitudinem Rom. Pontifices quovis sæculo pro earum salute explicuerunt. Nostris etiam diebus Sanctissimus Pius PP. IX non solum schismaticos ad unionem vere perficiendam iteratis vicibus invitavit, verum insuper illos ad Concilium hoc eodem anno in Vaticano celebrandum a se indictum peramanter vocavit. Faxit vero Omnipotens Deus, cuius est corda et animos permovere, ut in isto concilio pia Ecclesia mater hoc titerrimum schisma, quod tam diuturno tempore ejus viscera dilaceravit, penitus et in perpetuum extinctum tandem videat.

CAPUT IX.

De politicis vicissitudinibus.

Præcipua sæculi XVII facta recensentes, ex iis, quæ Europam respiciunt, nonnulla hic attingere opportunum putamus; talis enim est evolutionum politicarum hujus sæculi magnitudo, ut etiam in Historia Ecclesiastica penitus præteriri non debeant, eò vel magis quod earum notitia tum ad hujus epochæ certius efformandum judicium, tum ad maiorem dicendorum intelligentiam maxime inservire potest.

Superius diximus Protestantium dissidiis universam fere Europam exagitatam hoc sæculo fuisse, hæc vero pro sua magnitudine in capite peculiari pertractionem merentur. Nunc vero de quorumdam regnorum fatis aliqua sunt dicenda, quibus Novatorum placita, atque dissolventes doctrinæ ansam dederunt, quæque aliunde cum statu religionis in illis terris sunt connexa. Ex quibus præterea tum pessimi Protestantismi fructus iterum constabunt, tum etiam perspicue deprehendetur quam parum in hoc mundo fortunæ blanditiis confidendum sit.

Igitur post Henrici IV Galliarum regis abjurationem, felicior quam antea ejus conditio evassit atque in regni possessione firmatus est. Interim subditorum tranquillitati et prosperitati multum adlaboravit, cumque Calvinistarum numerus in Gallia nimium auctus esset, iique in arma proni publicæ paci continuo minitarentur, Rex in eorum favorem an. 1598 Nanneti celebre edictum, ab hac urbe Nantense appell-

latum, edidit, quo iis liberum religionis exercitum, eademque cum catholicis jura publica concessit. Clerus catholicus, Universitas Parisiensis et Parliamentum ipsum huic edicto tamquam catholicis pernicioso et hæreticis utilissimo multum obsisterunt, nec nisi ægre admodum illud post iteratam Regis jussionem a Senatu promulgatum est. Ubi notandum est ejusmodi Pacificationis edictum, a Rege necessitate compulso, nec alia ratione civiles tumultus compescere se posse existimante, datum esse; unde, ait B. de Henrion, si illud juxta prima principia juris, majestatis et legislationis spectetur, fuisse radicaliter irritum, tamquam vi extortum: hinc est quod Henrici IV successores illud cogere non potuit, nisi relate ad tempus, quo illius observantiam opportunam ad regni securitatem existimarent. (1). Ludovicus XIV illud edictum an. 1685 revocavit.

Hoc vero edictum magnis perturbationibus occassionem dedit, ex quibus deinde factum est, ut hunc fortissimum et vere *Magnum* regem impius sicarius Ravaillac dictus, die 14 Maji 1610, bina in corde cultri percussione interfecerit. Hoc parricidio Jesuitarum inimici mirum in modum ad illos perpendos abussi sunt, et libellos accusationum plenos, adversus eosdem ceu autores et defensores doctrinæ de cæde regum ac principum vulgarunt. Senatus Parisiensis librum Marianæ hispani, *De rege et regis institutione igni damnavit*, librumque Bellarmini *De auctoritate Rom. Pont. in temporibus*, sub pena læsæ majestatis interdixit: sed Maria Medicea regina vidua et regni procuratrix interdicti istius promulgationem suspendit. Librum vero Marianæ jam antea Jesuitæ ipsi improbaverant, ejusque correctionem Præposi-

(1) *Hist. Ecc.* lib. LXX n. 56.—Alzog. ¶. CCCXXXII op. cit.

tus Generalis Societatis undecim retro annis ordinaverat. Quantum autem ad necem Henrici IV spectat, Jesuitæ, se contra calumniatores facile vindicarunt, et ipse Ravaillac quæstionibus pressus constanter asseruit se solum esse hujus criminis auctorem. Imo Alzog affirmare videtur tale facinus pótius Calvinistarum in Ecclesiam catholicam, et in ipsum Henricum, ob ejus abjurationem odio tribuendum esse.

Henrico IV mortuo regni procurationem ejus vidua accepit pro Ludovico XIII regis filio adhuc impubere. Quod in omni fere principum minori ætate contigit, scilicet ut regni civilis et ecclesiastica prosperitas factionibus et ambitionibus perturbetur, tunc etiam evenit. Princeps enim Condœus et alii, reginæ matris et Marescalli de Ancre regimen exosi, bellum civile moverunt, quod tandem infeliciSSima Marescalli morte terminavit, dum etiam Hugonoti rebelliones quotidie movebant; sed hi ab exercitu regio superati, plerasque urbes et castra, ubi rebellionis signa explicarant, reddere, et an. 1625 pacem petere coacti sunt. Ex quo tempore maxime eorum potentia et audacia confractæ sunt, præcipue vero cum ultimum et fortissimum eorum propugnaculum, urbs Rupella, a regio exercitu expugnatum et captum est. Isprimo classem 120 navium, quam Angli in Hugonotorum auxilium misserant, ad insulam Rheam destruxit, deinde Rupellam e consilio Cardin. Richelieu aggressus eam magnis mollibus et munitionibus per Oceanum circumsepit, donec fame enecti cives an. 1628 in ejus manus se trididerunt. Rex in ipsa urbe et alibi catholicæ religionis exercitia restituit, sed tamen hæreticis edictum Nannetense reliquit.

Post hæreticorum confraktionem Richelieu magnatum etiam superbam potentiam cohibere tentavit. Ac hoc vero

obtinendum primo regem suassit, ut contra Sabaudiæ Ducem ab Hispanis adjutum, bellum iniret, ut Ducus de Nevers in Principatum Mantuanum jura defenderet; quo bello feliciter absoluto, Carolus de Nevers in quieta Mantuæ et Montisferati posessione remansit. Interim Richelieu magnates fortiter repressit, plures morte mulctavit, sicque eorum feudalismum in Gallia sustulit, dum aliunde adversus potentiam Austriacæ domus animum intendens, omnium principum Protestantium fæderationem conjunxit, cuius directio Gustavo Adolpho Regi Sueciæ commissa est, qui in bello triginta annorum magnas clades Imperialibus intulit, donec in prælio Lutzen occissus est. Hoc modo in magnum splendoris et potentiae gradum Gallia evecta est.

Ludov. XIII defuncto, regnum exceptit Ludovicus XIV an. 1643, qui cum quadriennis esset, sub matris Annae Austriae, Philippi III Hispaniarum regis filiæ, tutela remansit. Acre tunc temporis bellum inter Hispaniam et Galliam ardebat, de quo postea in capite de rebus Hispaniae loquemur, quod vario eventu continuatum est usque ad annum 1659, quo, pace firmata, Ludovicus Mariam Theresiam Philippi IV regis filiam uxorem duxit, jure in Hispaniae regnum solemniter renuntiato. Etiam bellum Austriacum et Germanicum, durante ejus minori ætate, perduravit, quod pace Wesphalica, de qua postea, terminatum est, atque etiam plures intestinæ divisiones Galliam exagitarunt, verum Cardin. Mazarini prudentia et ingenio factum est, ut nihil de sua potentia regnum amisserit. Post suum autem conjugium et Mazarini mortem Ludovicus XIV regnum per se ipsum gubernare cupiens, prospero marte utens, præclaras victorias retulit, regnique sui limites in Belgiam et Germaniam extendit. Hic princeps potentiae cupidissimus, absolutam do-

minationem ambiens, continuis bellis, quæ tamen feliciter gessit, fuit implicatus, et nihilominus industriam, agriculturam, marinam impense fovit, atque publicum thesaurum locupletavit. Catholicae religioni fuit addictissimus; Romanorum Pontificum constitutiones contra rebelles jansenistas servari jussit; Hugonotos fortiter repressit; missionesque exterias instituit. Nihil autem ejus gloriae deficeret, nisi gravibus molestiis Rom Pontificibus fuisset: eadem enim potestate absoluta, qua in civilibus, etiam in Ecclesiasticis rebus imperare voluit, quo dissidiis et turbis magnis inter Romanam Curiam et regnum Gallicanum causam dedit. Quæ omnia fusius exponentur cum de libertatibus Eccœ Gallicanæ, sermonem instituemus.

Nunc autem de rebus Angliae aliquam notitiam afferre oportet. Itaque mortua Elisabetha, an. 1603 ei succedit Jacobus I Scotiæ rex, Mariæ Stuartæ filius, qui Scotiam, Angliam et Hiberniam in unius regni formam rediget. Trina conjuratione a suis subditis hæreticis impetus fuit ille Rex: prima quidem a Puritanis, qui ægre ferentes quod ipse ministros suos in Scotia exauktorasset, et Episcopis dignitatem reddidisset, in eum conjurarunt an. 1702. Jacobus enim, licet inter puritanos educatus, intelligens tamen principia eorum democratica de regimine ecclesiastico, regiæ quoque auctoritati esse inimica, Episcopatum sectæ favit, quare Presbiteriani, duce comite Gaurico, ipsum interficere tentarunt. Altera conjuratio a quibusdam Proceribus promota, qui Marchissam de Arbella, regio sanguine natam, reginam salutarunt, multorum cæde fuit extincta. Tertia vero, *pulveris tormentarii* dicta, an. 1605 tetram in catholicos perseguitionem excitavit. Istorum quippe adversarii omni via imbellem regem contra illos movebant, et universis catholicis,

præsertim sacerdotibus et jesuitis, imputarunt, quod polvoram sub æde, in qua regni comitia habebantur, ad regem proceresque perdendos occultaverint. Unde factum est, ut diligentius in sacerdotes fuerit inquisitum, ex quibus plusquam 30 suppicio affecti sunt. Utque catholicos regi magis inimicos redderent, cum perduxerunt ad præscribendam omnibus juramenti formulam, in qua sub specie fidelitatis, quæ principibus debetur a populis, implicite saltem ipsius catholicæ fidei abnegatio continebatur. Catholici in diversas sententias abierunt, quorum alii licitum illud juramentum, alii illicitum existimabant, sed Paulus V ab aliquibus interpellatus respondit illud tuta conscientia præstari non posse. Cum igitur plerique catholici prædictum juramentum præstare recusarent, in eos tamquam rebelles in regem perseguitiones motæ sunt.

Verum sub ejus filio Carolo I an. 1625 in regno successore, catholicorum conditio melior evasit. Iste enim uxorem eodem anno duxit Henricam Franciæ, Henrici IV filiam, quæ cum catholica esset, plurimum pro ipsis apud regem effecit. Verum post aliquod tempus ex dissidiis religiosis politicæ turbæ securæ sunt, regnum bellis civilibus exagitatum est, ipseque Rex an. 1649 a senatu capitis damnatus. Quod insequent ratione factum est. Scilicet præter Episcopalium et Presbyterianorum, vel alio nomine Anglicanorum et Puritanorum sectas, alia etiam in Anglia secta *Independentium* erupit, quæ inter Puritanos an 1581, auctore Roberto Brown initium cœpit. Hi principiis democraticis anarchica substituerunt; non tantum Episcoporum sed etiam presbiterorum auctoritatem rejiciebant, docebantque quemvis cœtum ecclesiasticum a reliquis omnibus prorsus independentem esse; prædicatores a singulis cuiusque cœtus membris esse

eligendos et pro arbitrio destitui posse, atque præter eos cuivis sine sexus aut conditionis discriminè jus esse divinum verbum annuntiandi, modo se ad illud, Spiritus Sancti afflatus, moveri sentiret. Unde paulo post *Independentes* appellati sunt, qui præterea nec regis nec alterius hominis imperio parendum esse dictabant.

Porro *Independentes* æque ac puritani propter doctrinas suas a supremo regimine coercebantur. Carolus I, patris sui exemplo Episcopibus favit, eorumque potestatem auxit. Ut ecclesiastica eorum forma etiam in Scotia prævaleret, non tantum Episcopis ibi constitutis publica munera eaque amplissima contulit, sed etiam an 1637 liturgiam Anglicanam introducere conatus est. Verum populus in seditionem prorumpens id impedivit, et anno sequenti Ordines Scoti in unum congregati Episcopos et omnia a Jacobo et Carolo ad firmandum eorum regimen introducta abrogarunt. Carolus Rex Scotos jam armis ad obedientiam adigere conabatur, sed bellum inde enatum an 1640 adversum regi exitum habuit. Interea democratica puritanorum principia etiam inter Episcopales probari cœperant, et quó magis eorum factio a regibus reprimebatur, eo amplius aucta fuerat; *Independentes* vero ita multiplicati erant, ut cœteros puritanos et numero et viribus superarent. (1)

Interim Carolus I Ordines publicos convocavit, sed Deputati erant maxima ex parte *ei infesti*, adeo ut qui *cameram* ut dicitur, *inferam* constituebant, plerique sive Puritani siue *independentes* essent. Hi jam pro summo odio, quo in Episcopos flagrabant, primo Archiepiscopum Cantuariensem Lawd, deinde cœteros Præsules in vincula conjici manda-

(1) (Wouters. loc. cit. Receveur-lib. XLIV Henrion. lib. LXXI.)

runt, eosque a comitiis exclusserunt, et tum regem tum Cameram superiorem, jam omni auctoritate carentes an. 1642 ad illam legem firmandam compulerunt: posteaque Lawd capite damnarunt, et Episcopos penitus abrogarunt. Brevi sua-principia ab episcopis ad regem transtulerunt, unde bella cruenta ad cædes usque'eeuta sunt. Carolus enim contra seditiosos Parliamentarios exercitum collegit, seque armis defendere tentavit, et illos ab initio dupli certamine superavit; verum an sequenti junctæ Scotorum et Anglorum vires sub duce Oliverio Cromwell, qui milites suos fanismo religioso implere noverat, Regis exercitum dissiparunt, eumque ad tantas redegerunt angustias, ut Scotorum se fidei committeret. Sed hi, auro corrupti, illum Anglis tradiderunt, a quibus in vincula conjectus, agente Cromwell, et læsæ religionis et libertatis accusatus, an. 1649 capite plexus fuit.

Cromwell sub specioso *Protectoris* nomine novæ reipublicæ præsedidit, ac majori quam reges potestate vel potius tyrannide usus est. Sub eo puritanorum, e quibus ipse erat, conditio prævaluit, catholici vero iniquissimæ ac durissimæ sorti addicti sunt. In bello inde exorto Cromwell ita fuit vicit, ut cunctos regni catholicos in unam provinciam coegerit, cuivis ejus limites transgressuro mortem minitatus. Quo facto, omnibus, qui bellum participarant, fundi, qui ferme ad tertiam terræ partem protendebantur, adempti, et colonis acatholicis ex Anglia venditi sunt. Ita catholici in Hibernia ad paupertatem reducti sunt, et inextirpabile turbarum semen in regno sparsum.

Postea tamen Carolus II primi filius, opera ducis Monk, rex a Parlamento salutatus, aliquantum catholicorum res erexit, sed continua dissidiis et hæreticorum timore deten-

tus, parum profecit. Etenim ipse in Batavos bellum inivit, quos pluries fudit, sed Parliamentum ægre ferens, quod in gratiam catholicorum Rex concesserat, aperte negavit, se Regi ad tantum bellum sustinendum pecuniam concessurum, nisi prius ipse diploma pro catholiceis latum, rescidisset; quod Carolus II licet invitus, jam exhausto ærario, revocavit. Tuac gravissimæ contentiones ortæ sunt, et vocabula *Whigs* et *Torys* primum audita. Illud presbyterianos Scotiæ, postremum vero catholicos Hiberniæ designabat; quorum factiones ab an 1680 semper adversæ fuerunt. Majorem Anglicanorum oppositionem Jacobus II, Caroli successor, ob eadem causam expertus est, qui cum aperte catholicismum restabilire intenderet, continuos tumultus et generalem regni defectionem pati debuit. Angli hæretici Guillelmum, Principem Arausicanum, vocaverunt, qui Batavorum classe in Angliam vectus, an. 1688, brevi universi regni potitus fuit. Fugit Jacobus in Galliam, ubi post irritum restorationis conatum, privatim usque ad mortem vixit, qui tria antea regna possidebat. Guillelmo vero sine liberis defuncto, Parliamentum legem tulit, qua catholicos omnes principes e regni successione excludebat; et deinde catholicorum conditio pejor evassit.

Mirandum sane est, quomodo post tot persecutio[n]es in his terris catholica fides usque hodie perseveravit, quod nonnisi potentissimo Dei auxilio tribuendum est. Sed nullo modo mirandum, quod in quovis regno hæresum sectis conspurcato, innumeræ dissensiones exoriantur, quibus concordia civium, vis legum, auctoritas principum et magistratum penitus evanescant. Illi enim Angli qui divina jura tam insolenter, conflato schismate, protriverunt, consequens erat, quod jura regia facilius essent spreturi. Sublata quip-

pe semel avita religione, periclitantur exemplò leges, erumpunt inter eives aperta odia, nec ipsa Regum auctoritas tuta esse potest; proprium enim hæreticorum omnium est, ut impatientes cujusvis dominationis semper sint.

CAPUT X.

De bello triginta annorum et pace Wesphalica.

«In gravissimis, inquit Palma, (tom. IV cap. XVIII.) in gravissimis illis, quibus, post reformationem Lutheranam inventam, Germania objecta est, religiosis politicisque vicisitudinibus, tractatus ille celeberrimus fuit, qui an 1648, post bellum triginta annorum, absolutus est, et *pax Wesphalica* solet appellari.» Numquam sane magis a nobis desideratur celebris auctoris eruditio atque ingenium, quam in isto quidem amplissimo negotio percurrente; tamen, qua possimus brevitate et perspicuitate, ea omnia narrabimus, quae necessaria quidem videbuntur, etiamsi limites huic opusculo prescriptos servare compulsi, breviores certe simus, quam gravissimi eventus ratio tota postularet. Sunt autem ea hic memoria repetenda, sicut auctor præcipit, quae ipse de bello Smalcaldico, transactione Passaviensi et pace Religionis loco citato disserit, ex quibus omnibus accurate perfectis non modica lux affulgebit ad hujus capitis intelligentiam. Præterquamquod illæ res cum isto eventu sunt omnino connexæ; dissidia enim a *pace Religionis* exorta, tandem in tetrum triginta annorum bellum eruperunt.

Scilicet anno 1609, auctore Friderico electore Palatinatus, protestantes principes lantgravius Hassiæ, dux Witembergensis, princeps Anhaltinus et alii, pluresque civitates liberæ, fædus inter se inierunt, quod *Unio evangelica* dictum est. Ejus finem quidem solam libertatis suæ politicæ et religiosæ defensionem esse dicebant, at brevi post sat ostende-

runt, sibi de eo agi, ut prælati cæterique principes catholici terris suis privarentur. Catholicæ hac confœderatione perterriti *Ligam catholicam* inter se ineundam putarunt, cui nomina dederunt Maximilianus dux Bavariæ, tres Imperii electores ecclesiastici, Archiepiscopus Salisburgensis, Episcopi Bambergensis, Wicemburgensis, et Aichtadensis, Archiduces Austriæ, aliisque plures principes tum extra tum intra imperium; in quam postea Rom. Pontifex Paulus V et Philippus III Hispaniæ rex ingressi sunt. Tunc protestantes istorum potentiam veriti, tractatu cum ipsis inito, post mortem electoris Palatini, à bello gerendo destiterunt.

Verum post paucos annos illud acriter inflammatum est, et 30 annis usque ad pacem Wesphalicam perduravit, quo Germania horrendum in modum exagitata et universa Europa turbata fuit, dissidentibus inter se principibus et quibusdam uni, cæteris alteri parti adhærentibus. Bello ansam derunt hæretici Bohemi, qui indultam sibi a Rudolfo religiosam libertatem arbitrarie extendere cæperunt in detrimentum catholicorum. Quum Imperator Mathias an 1618 eorum audaciam litteris minatoriis coarguisset, illi incenitore potissimum comite Mathia de Thurn, arma sumpserunt et in palatium regium Pragæ irruentes, duos urbis gubernatores e fenestra ejecerunt; deinde constitutis 30 ducibus, totum regimen ad se traxerunt, æs publicum sibi vindicarunt, milites conduxerunt, atque omnem fere Bohemiam occuparunt. Mathias Imperator eorum rebellioni arma opposuit, protestantici vero Principes, unionis Evangelicæ participes, auxiliares copias rebellibus destinarunt.

Bohemi ita adjuti, non tantum contra cæsareum exercitum dimicarunt, sed mox Moraviam, Silesiam, et Lusatiam ope protestantium, ubique numerosorum et in seditionem

pronorum, ad communem secum rebellionem permoverunt; et qui tantum ad defendendum religionis suæ exercitium se arma sumpsisse dictitabant, Jesuitas Bohemia ejecerunt, et catholicos dure opprimebant.

Anno 1619 Mathia imperatore Viennæ defuncto, regimen adiit Ferdinandus II, dux Stiriae, cui jam antea Mathias regna Hungariæ et Bohemiæ cesserat: sed eum propter Religionis catholicæ studium protestantici Bohemiæ Ordines acceptare recusabant. Rebelles Bohemi, de ope protestantium in Austria certi, exercitum in eam duxerunt et Viennam usque penetrarunt. Eodem tempore protestantici Ordines seu Status, tum infra tum supra Anasum, arma contra Ferdinandum sumebant. Ferdinandus, medius inter hostes et humano auxilio destitutus, sed pia in Deum fiducia stabat; cum subito 500 equites, a summo copiarum duce missi, Viennam ingressi insolentes Ordinum deputatos terrore perculebant, atque sugarunt. Eodem tempore idem copiarum dux rebelles in Bohemia ingenti clade affecit, qua audita Bohemi, qui in Austriam irruerant, mutato itinere ad Pragam defendendam reversi sunt. Tunc Ferdinandus ad comitia, Francofordiæ pro novi imperatoris electione congregata, profectus est, et coronam cæsaream retulit. Maximilianus, dux Bavariae et fæderis catholici auctor, exercitum in Austria duxit, ut protestanticos Ordines ad obedientiam Ferdinando II præstandam compelleret. Ordines infra Anasum, accepta privilegiorum suorum religiosorum et politicorum confirmatione, illud jam præstiterant. Ordines supra Anasum ad id faciendum à Maximiliano compulsi sunt.

Tranquillitate in Austria restituta, Maximilianus junctis sibi copiis cæsareis penetravit in Bohemiam. Bohemi, rejecto Ferdinando, Fridericum V, electorem Palatinum, si-

bi regem crearant. Verum Maximilianus an. 1620 prope Pragam rebellium exercitum ita fudit, ut Fridericus ē Bohemia fugerit, et brevi tempore Bohemia et ad eam relatae provinciæ Ferdinando II penitus subjectæ sint. Ferdinandus, proscripto Friderico, electoratum ejus, terrasque cis-Renanas contulit Maximiliano, duci Bavariæ. Aliquot belliduces et principes Germanici bellum continuarunt, sed confederatorum catholicorum armis succubuerunt. Anno 1625 complures Ordines circuli Saxonici inferioris duce Christiano IV, rege Daniæ, qui in eodem circulo ducatum Holsatiæ possidebat, sive quod rebus suis timerent, si ve quod imperatoris et catholicorum potentiam infringere cuperent, arma ceperunt. Verum continuo devicti, post duos annos pacem petierunt, et impetrarunt.

Interea Ferdinandus II, permotus partim Religionis catholicæ studio, partim molestiis, sibi et successoribus suis à subditis protestanticis, ubi prævaluerant, suscitatis, eorum sacra in terris suis hæreditariis suppressit. Jam an 1621 prædicatores hæreticos, et an. 1627 omnes, qui catholica sacra amplecti recusarent, Bohemia et Moravia emigrare jussit. Anno sequenti idem decrevit pro Austria. Protestantantes supra Anassum religionis suæ libertatem quidem armata manu tueri conati sunt, sed à copiis cæsareis in pluribus præliis victi, ad subjectionem adacti sunt. Pro Silesia et Lusatia elector Saxoniæ, qui has terras pro auxilio Ferdinandi præstito acceperat, religionis libertatem impetravit. Aliam præterea legem dedit Ferdinandus; ut omnia bona ecclesiastica, à protestantibus post pacificationem Augustanam (1555) occupata, restituerentur. Quæ restitutio in Germania exteriori protestantium animos vehementer quidem perculit: attamen debilitati, armatam manum opponere au-

si non sunt, priusquam belli classicum ceciniset rex Sueciæ.

Gustavus Adolphus rex Sueciæ, motus partim studio succurrendi periclitanti rei protestantice, partim cupidine acquirendi gloriam terrasque, an. 1630 fortissimum exercitum, belli molestiis et victoriis assuetum, in Germaniam duxit. Ei Ordines protestantici, alii post alios, se adjunxerunt. Ipsi Galli sub Ludovico XIII, domum Austriacam diminutam cupientes, illis auxilia suppeditarunt. Quibus adjutus Gustavus Victorias plures de cæsareis retulit, brevique tempore magnam Germania partem occupavit. Vix dici potest, quanta mala rei catholicæ, ecclesiis et monasteriis, ab hostibus illata sint in omnibus locis, quos occuparunt. An. 1632 Gustavus in prælio apud Lutzen in Saxonia occissus est; verum tam bellum continualum fuit varia utrimque fortuna. Ferdinandus II rem magno animo agens, an. 1634 magnam victoriam retulit apud Mortlingam. Anno sequenti Praga pacem composuit cum J. Georgio, electore Saxonie, qui exinde imperatori auxilium tulit contra hostes.

Ferdinando II an. 1637 defuncto, successit Ferdinandus III, filius ejus, jam an. 1625 Hungariae, an 1627 Bohemiæ et an. 1636 Romanorum rex creatus. Sub eo bellum acriter continualum est. Ferdinandus Victorias nonnullas de Suecis retulit. Sed brevi post hi Bernardi ducis Weimaræ et Ludovici regis Galliæ armis adjuti, fere ubique superiores extiterunt. Imperator medius inter hostes, Gallis ex una, Suecis aliisque ex altera parte eum impotentibus, pacem cum adversariis tractare cœpit. (1)

(1) Wouters, tom. II p. 192.

Itaque Oratores ex utraque parte, pacis negotium acturi, convenerunt, sed inextricabiles difficultates ab utrisque opponebantur, populi vero ipsique milites diuturnis belli calamitatibus defessi, pacem vehementer optabant. Hoc autem probe noverant protestantes, qui audaciores facti et fere ubique victores iniquissimas conditiones dictitabant. Erat praeterea maxime arduum negotium religionis, de quo acrius disceptabatur, quin neutri de sua sententia cedere vellent, cumque tot principes essent bello implicati, quorum unusquisque diversa reclamabat, impossibile videbatur quod umquam ad commune consilium deveniendum esset. Cum haec ita essent, tum Galli, domus Austriaca et Hispaniae rex aliique, Romanum Pontificem summum pacis universalis mediatorem nominarunt, qui cum Venetorum republica ejusmodi munus libenter sumpsit, atque Fabium Chigium suum nuntium ad congressum missit. Verum id ægre protestantes tulerunt, qui odio in Pontificem et quæcumque romani nominis acti, nullo modo ejus judicio sese submittere volebant, quapropter magnis clamoribus et minis a Congressu abierunt, atque nonnisi post diuturnum tempus et iteratas obsecrationes tandem in illo suscipiendo convenerunt, ea tamen conditione, ut ipsi cum Pontificis nuncio tractare non cogerentur. Igitur in duas sectiones conventus deputatorum divisus est, quæ in duabus distinctis civitatibus res de pace componerent, (talis erat protestantium intolerantia) quarum prima cum nuntio Fabio Chigio Monasterii, altera cum Suecis Oratoribus Osnabrugæ sedit. Praeterea parem utriusque religionis deputatorum numerum in hisce conventibus Protestantes postulabant, quod nisi impleretur, ipsi ulterius non essent profecturi.

Negotium vero quod animo taliter in Romanam Eccle-

siam infenso incipiebat, non poterat non infaustum effectum producere. Unde an. 1648 iniqua *pax Wesphalica* post plurimas negotiationes firmata est, protestantibus commodissima, quæque catholicæ religioni magnum detrimentum inferebat, atque eidem, non obstantibus Pontificis protestationibus, vis addita fuit Norimbergæ 1650. Gratulantur quidem de hac pace Moshemius aliique hæretici scriptores, eó quod illa plura beneficia in protestantes contulerit, quæ non æquo animo Romanus Pontifex ferre potuit, illamque amplissimis laudibus celebrant, velut felicissimum eventum, qui ad roborandum protestantismum accidere poterat. Ex qua talium hominum dicendi ratione inferri licet, quodnam judicium de hac pace a catholico theologo formari debeat.

Multo magis autem qui ejusmodi conditiones perspiciat, statim deprehendet, plurimas esse injusticias nationum publico jure sancitas. Illarum enim conditionum hæc summa est; videlicet transactio Passaviensis in primis, atque *pax Augustana*, quam anno 1555 Carolus V Imp. cum protestantibus confecit, vi cuius plena religionis libertate protestantes donati sunt, nunc confirmata est, atque ad Calvinistas extensa, ita tamen ut quæcumque in illa pace Augustana fidei catholicæ favebant, per istam, de qua agimus, abrogata sint. Absoluta præterea in universum æqualitas catholicorum, lutheranorum et calvinistarum, tum in religionis negotio, tum in civilibus juribus decreta est, atque edictum restitutionis Ferdinando II latum irritum declaratum est, et norma possessionis bonorum annus 1624 designatus fuit. Vi hujus articuli omnia bona ecclesiastica extra terras etiam Austriacas, ecclesiæ, episcopatus, abbatiae, capitula, monasteria, aut alia quæcumque ante kalendas januarii hujus anni a protestantibus occupata, non obstantibus quibuscumque in

contra decretis, sententiis, aut pactionibus, cum suis iuribus et privilegiis, iisdem confirmata sunt.

Quoad Ecclesiæ et capitula mixta, id est partim ex catholiceis, partim ex protestantibus coalescentia, decretum est, parem in posterum utriusque religionis numerum titularium et canonicorum haberi, et cum aliquis moreretur, ejus beneficium viro ipsius religionis conferendum. Eadem etiam æqualitas in consilio aulico, in ipsa camæra imperiali, in omnibusque tribunalibus introducta est, et quasi hoc sufficiens non esset, sancitum præterea, ut quæstiones præsertim religionem spectantes per suffragiorum pluralitatem resolvi non possent. Deum iniquissima et impudentissima ratione ecclesiæ Germanicæ, omnium ditissimæ, bona a belliducibus usurpata sunt; etenim bellicorum sumptuum compensandorum prætextu pinguiores possesiones, dicoce-ses, &c., principibus protestantibus concessæ sunt, atque in ducatus et principatus sœculares conversæ. Sic præter Pomeraniam traditi fuerunt regi Suecorum in perpetuum episcopatus Bremæ et Werden, et in feuda erexit; domus Brandenburgica quatuor episcopatus obtinuit, cum potestate abollendi omnes canoniciatus in Caminensi, eorumque prædia sibi usurpandi, quod etiam similiter Meckelburgensis duabus concessum est: ac denique, ut alia præteream, talis fuit protestantium rapacitas ut landgravio Hassiae Cassellii præter ditissimam abbatiam Hersteldensem sexcentorum millium scutorum summa, a variis Episcopis persolvenda, assignari debuerit. Quod vero gravissimum est, data fuit principibus facultas quæcumque de religione reformati, simulque Episcopis jurisdictione sublata.

Ejusmodi itaque conditiones quam iniquissimæ sint, reique catholicæ adversæ nemo non videt, unde ipse Voltaire

pacem Wesphalicam Ecclesiæ immolationem appellat. Ferdinandus vero Imperator his diu restitit, sed vi coactus, tandem pactis assensit; verum Hispaniæ rex paci adhærere noluit, et bellum cum Gallis gessit usque ad ann. 1659, quo tandem per *tractatum Pirinæorum* pax firmata est. Quare majori ratione Pontificis Legatus Fabius Chigius adversus hanc pacem, velut Ecclesiæ juribus aperte adversam iteratò protestatus est, atque catholicarum nationum Oratores, ac præsertim Contarinum, testes fecit, se nullo modo ejusmodi tractatui confiendo intervenisse, nec illi subscribere voluisse, immo nec conventibus interfuisse, ex quò eorum propensionem agnovit. Legati agendi rationem Innocentius X Pontifex approbavit, et meritò Wesphaliæ tractatum irritum et nullum declaravit, illumque data bulla *Zelus domus Dei* damnavit in his, quæ Ecclesiæ juribus quoquomodo adversarentur. Verumtamen pax Wesphalica ubique recepta est, et deinceps in societate Europæa jus publicum seu systema politicum constituit.

Talem autem pacem inter gravissimas Ecclesiæ calamitates numerandam esse, per se patet. Et quidem, inquit Walter, juxta juris principia fateri necesse est, illum tractatum injustitiam adversus Ecclesiam sancire. Etenim primò, foundationes de rebus spiritualibus ad populorum et communitatum, non autem individuorum dominium pertinebant, unde nisi totus populus novæ religioni nomen daret, bona ecclesiastica debebant parti catholicæ, utpote præscribenti et possidenti, integra relinquì, nisi forte amicabilis conventio locum haberet, quod quidem numquam evenit. Deinde principes sœculares de bonis ecclesiasticis, licet jam de facto occupatis, decernentes, licet sibi putabant illorum abalienationem, quæ tamen juxta utriusque juris principia

vigentia, non nisi per Episcopum et cum Rom. Pontificis dispensatione, fieri poterat. Illi denique de quibus in pace agebatur, propria auctoritate acceptabant plurima decreta, suppressionem Episcopatum et capitulorum, eorumque intimam dispositionem respicientia, ad quæ sancienda omnino, juxta antiquum jus, Rom. Pontificis consilium et auctoritas necessaria fuissent.» (1) Jam vero in his omnibus aperte Ecclesiæ jura conculcata sunt, ejusque auctoritas parvipensa, quamobrem jure meritò Romanus Pontifex, pro muneri sibi injuncti ratione, Wesphaliæ tractatum irritum facere potuit et debuit. Etenim apud omnes constat Ecclesiæ potestatem supremam atque in suo regimine independentem a Domino accepisse, cui nullus sæcularis princeps sese licite opponere potest, cuius potestatis Rom. Pontifex summus est moderator et rector; cum vero per citatum tractatum hæc Ecclesiæ potestas despiceretur, abunde liquet, Inocentium X in sua bulla promulganda sapienter atque prudenter se gessisse.

Quod magis adhuc patet si spectetur, præter recensita, alia etiam plura noxia Ecclesiæ ejusmodi pacem continere. Etenim illa potestas principis data, ut in suis ditionibus quæcumque de religione reformarent, atque cultus publici exercitium pro arbitrio disponerent, aperte fidei catholicæ erat contraria, in illis præsertim Germaniæ ditionibus ubi principes aut duces protestantes erant. Hi vero bona ecclesiastica usurpandi cupiditate ducti, aliisque de causis, ita catholicis infensi fuere, ut brevi tempore religionis antiquæ reliquias in illis terris superstites, prorsus deleverint. Hæc autem super res sacras principum sæcularium auctoritas,

(1) Walter. *Manual de derecho canónico*-Madrid 1848, apud Alzog § CCCLVI.

vel ut ita dicam, episcopatus, non poterat alium fructum dare, nisi religionis interitum; idque tum ex eorum ambitione, cupiditate, inscitia, tum etiam quia ex natura sua religio catholica, nisi per Episcopos gubernata, subsistere nequit.

Certe non injustius protestantes potuerunt contra catholicos agere, etsi ab initio nihil aliud ab illis hominibus sperandum foret, qui universalem fæderationem inire voluerunt, jamque cum Anglis in hunc finem tractarunt, ad fidem catholicam omnino, si fieri posset, convellendam. Atque nihil aliud illi principes in pace componenda curarunt, nisi quod eorumdem causæ favorable esse judicabant, adeo ut merito dici possit, Wesphalicam pacem non nisi in gratiam Protestantium, veræque fidei detrimentum firmatam esse. Ipsi enim qui tempore Caroli V Imp. tolerantia contenti erant, nunc omnimodam cum catholicis æqualitatem adepti sunt, imo vero illos superarunt. Hujusmodi vero æqualitas, præterquamquod absurdæ et injustissima est, tantummodo Protestantibus favebat, Quæ enim societas lucis ad tenebras? Aut quæ conventio Christi ad Belial?

Denique ut alia præteream, inter mala ab illo tractatu exorta, illud præcipuum est numerandum, scilicet Protestantismum in Germania altius per illam pacem fuisse firmatum, ipsiusque durationem in posterum auctam. Unde concludere necesse est, hanc pacem juxta regulas juris et divina iussa, conditionibus, quas diximus, signari non potuisse: licet enim per eam plurimis populis tranquillitas restituta sit, et a sanguinis effusione cessatum, tamen certum est nec etiam ad pacem instaurandam ea licere posse, quæ cum religionis et fidei incolumente pugnant. Quæ omnia B. de Henrion sic breviter resumit, postquam de tali tractatu ejus-

que effectibus disserit: Ita quidem, inquit, infelix Wesphalica pax lutheranismi durationi in Germania robur addidit, tum his sacrilegis direptionibus, quas iteratæ Romani Pontificis protestationes impedire non potuerunt, tum etiam prædicta æqualitate inter errorem sive impietatem, veramque fidem, sancta; sicque monstruosisima et absurdissima hæresis, saltem si sub aspectu reformationis spectetur, omnes alias diffusione et duratione superavit. Verum si protestantismus existimat de hoc se posse gloriari, frustra quidem, cum sit infidelium secta, mahometismus scilicet, quæ illi palam abripere potest. (1)

Demum concludit; ¡Quam tristis illa conditio, cuius causa, qui illa utuntur, in lethalibus erroris umbris, jam a tribus sæculis jacent, quin eorum conversionem amplius sperare possimus, nisi forte plena effusio illarum mirabilium gratiarum locum habeat, quas Deus, miraculorum non prodigus, cum pondere et mensura distribuit! Non patiuntur hujus operis limites de hoc diutius disserere. Si quis autem plura cupit, historiam Germaniæ a Ph. le Bas conscripatam et etiam Adam Adami eruditum opus legere potest, ubi fusius hujus pacis consecaria politica religiosaque dilucidantur. (2) Nos verò sufficientia diximus, ut appareat, fere omnia quæ in hac pace tractata sunt, generatim sine gravissimo Ecclesiæ damno, religionisque detimento non evenisse.

(1) Henrion-Hist. Eccl. lib. LXXV, al fin.

(2) Adam Adami. *Arcana pacis Wesphaliceæ*.-Franç. 1698.—Woltman-Histoire du traité de Wesphalie, -Leipz. 1808.-Ph. Le Bas, Hist. de Alemania tam. II. Barcelona 1841.

CAPUT XI.

De ortu et progressu Jansenianæ heresis.

Pervenimus tandem ad illam versutam larvatamque erroris formam investigandam, qua, si preevaluisset, nihil aptius ad universam catholicæ fidei œconomiam evertendam excogitari possit. Nulla enim alia, ex omnibus quæ Ecclesiæ quovis tempore perturbarunt, hæresis, tot habuit, tamquam scitulos persutilesque propugnatores, pro nullaque alia sustinenda majori eruditione, calliditate et pertinacia, quam pro Jansenismo, decertatum est. Qui homines eruditione præclarí, singularemque morum severitatem ostentantes, brevi tempore plurimos in partes suas pertraxerunt. Eò autem erat periculosior ejusmodi secta, quò ejus defensores catholici semper haberi nervose contenderent, et maxime Apostolicam Sedem se revereri prosterentur, ejusque supremo iudicio se submittere velle: cum autem Rom. Pontifex eorum sententias damnabat, subdolis excogitatis distinctionibus, pontificias censuras declinabant. Præterea *gratice* defensores appellabantur, seque, nonnisi veram et germanam Sti Augustini doctrinam exponere, propugnare, ac docere, pleno ore buccinabant, quo artificio secure agebant. De quibus hominibus, qui Divi Augustini mentem intelligere unici superbe præsumebant, illud quod de nonnullis sui temporis hæreticis Theodoretus refert, dici potest, quod ad eorum indolem cognoscendam est opportunissimum, quod nempe:

neminem volunt ex antiquis Patribus sibi comparari, neque illos, quibus nos ab ineunte ætate usi sumus præceptoribus, sibi pares existimari sinunt, imo vero ne unum quidem collegarum nostrorum vel ad mediocrem sapientiam pervenisse censem; sed se ipsos solos sapientes, et sibi solis ea doctrinæ patefacta mysteria, quæ in nullius umquam cognitionem ac mentem venerint, arbitrentur. Ex quibus patet quanta cura et studio de hac speciosa et hypocrita hæresi est disserendum.

De Bajo agentes significavimus ejus sententias licet proscriptas in Jansenismum fuisse conversas. Eosdem enim errores, quos ille docuit, de gratia, libero arbitrio, bonorum operum merito, redemptione &c., Jansenius in lucem revocavit, illius doctrinam in suo *Augustino* adstruere et defendere vehementer contendit, ita ut ab initio opus suum inscribere voluerit, *Defensio Baji*, sed veritus Romanam censuram ab illo titulo abstinuit, non tamen ab illo proposito, ut patet ex quoddam *Augustini* MS. Lovanii servato, qui in causa Quesnelli citatur sieque incipit; *Ad excussandas apophases magistri nostri Michaelis*. &. Hanc autem doctrinam a Jacobo Janson, Baji discipulo et successore didicerat, qui etiam in pluribus Lutheri et Calvini placita sua fecerat. Ipposeque Jansenius ad Sanciranum scribens mentem suam Baji simillimam significat esse, dicens, «Non audeo dicere quid sentio de prædestinatione et gratia, ne forte antequam omnia parata et maturata sint, mihi quod aliis accidat, *Romæ damnier, sicut damnatus fuerat Bajus.*» Qui alibi sibi objiciens bullas Pii V et Greg. XIII contra Baji assertiones, exclamat; «*Hæreo, fateor, sed quid ad doctrinam Divi Augustini?*» Quapropter quæ de illius systematis damnatione, periculis, et absurditate diximus, eadem prorsus ratione de Jansenismo intelligi debent.

Erat autem Jansenius, juxta Natalem Alex (1) «quantum ad illius mores et animi dotes pertinet, vir pietate, vita modestia, morumque disciplina, sed maxime prudentia conspicuus. Ingenium fuit illi acerrimum, judicium gravissimum, memoria capacissima; quibus naturae dolibus noctu diuque pertinax studium accesserat, et veritatis amor ingens, quam tamen in tradenda Sti Augustini doctrina non est assequutus, Ecclesia judice. Omnia Augustini opera decies, libros vero de gratia et libero arbitrio plusquam trigesies a capite ad calcem evolverat.» Hæ autem dotes magna superbìa obscuratæ fuerunt, qua ipsum solum doctrinam Sti Augustini intellexisse, tumide sentiebat, a recentioribus theologis non satis hactenus intellectam et antiquioribus Patribus, maxime Græcis, incognitam. Et quidem ipse Jansenius, in *Augustino*, suis viribus plus æquo confisus, non solum damnat doctrinam Patrum Græcorum, quibus, inquit, aliquid ex pulvere subtilissimi erroris Semipelagiarum adhæsit, sed etiam passim in omnes theologos scholasticos invehitur, solusque contra omnes stat. Merito proinde in epistola ad Sanciranum scribebat; doctrinam, quam in *Augustino* exponebat, plerisque stuporem incussuram; futurumque facilè, ut tamquam delirus et somniator insignis audiret. Ipsumque, fertur, morti proximum, mandasse sanctimoniali quæ ipsi ægrotanti ministrabat, adferre librum nondum typis editum, in ignem conjiciendum, sed hunc non fuisse repertum. (2)

Itaque Jansenius in Hollandia catholicis parentibus natus est an. 1585, et postquam humaniores litteras Ultrajecti didi-

(1) Suppliem. dissert. V § XXIII in hoc tamen eäute legendus.

(2) Cf. Henrici Guil. Wouters, *Historia Ecclesiasticae compendium*, tom. II p. 196 et seq. Neapoli 1862.

cisset, anno ætatis decimo octavo Societati Jesu nomen dedit, deinde, ea relicta, philosophiæ et theologie Lovanii studuit. Emenso theologiae curriculo, valetudinis causa Pariros se contulit, ubi Abbatis de San Ciran ope et favore collegii Bajonensis primarius instituitur. Post annos duodecim Lovanium redux et doctorali laurea donatus theologiam primum, deinde Sacram Scripturam interpretatus est. Anno 1633 librum scripsit, cui titulus, *Mars Gallicus*, in quo ardenti stilo Gallorum fœdera cum principibus protestantibus redarguit, et Austriacæ familiæ jura in Belgium contra illorum machinationes defendit: quo opere, Philippi IV Hispaniarum regis favorem meruit, a quo 1635 Iprensis Episcopus renuntiatus fuit. Tunc opus suum de gratia cui jam ab annis viginti manum admoverat, collatis cum S. Cirano studiis, perficere aggressus est, sed ante illius editionem, contagiosa lue, an. 1658 mortuus est. Paulo ante mortem in testamento, quod condidit, palam protestatus est se tamquam matris Ecclesiæ obedientem filium velle mori, omniaque sua scripta Rom. Pontificis subjicere judicio, quam protestationem ad calcem sui libri etiam inseruit; (1) verum discipuli hoc Jansenii obedientiæ exemplum sequuti non sunt. Opus vero suum, vixdum absolutum, Jansenius legavit Reginaldo Lameo, cappellano suo, ut illud e consilio Liberti Fromondi, Ss. Litterarum in Universitate Lovaniensi interpretis, et Henrici Caleni, canonici, deinde Archidiaconi Mechliniensis, typis mandandum curaret.

Horum vero opera tandem an. 1640 infelix ille liber in lucem prodiit, qui tantorum dissidiorum origo fuit, cui titu-

(1) De sinceritate hujus submissionis legatur Henrion, *Hist. Ecc. lib. LXXXII in fine.*

lus; *Augustinus, seu doctrina S. Augustini de naturæ humanae sanitate, cœgritudine, medicina, adversus Pelagianos et Massilienses.* In tres partes illud est distributum, in quarum prima exponitur hæresis pelagiana et Semipelagiana; in seunda ratio modusque aperitur definiendi et explicandi sacra fidei mysteria maxime prædestinationis et gratiæ, ex auctoritate nimirum Scripturæ et Ss. Patrum, præsertim S. Augustini, cuius de hoc arguento doctrinam ab Ecclesia probatam esse, demonstratur; atque etiam fuse agitur de gratia Angelorum, et de statu humanæ naturæ ante et post lapsum, adeoque peccatum originale ejusque mali effectus exponuntur, speciatimque vulnera liberi arbitrii. In tertia denique exponitur S. Augustini systema de gratia Redemptoris, ejusque vi et efficacia, ac de gratuita prædestinatione; ubi etiam molinisticæ sententiæ, velut (semipelagianis affines, refutantur. In hoc exarando 22 annis Jansenius laborasse dicitur, illudque Urbano VIII dicare cogitasse.

Igitur non obstantibus Jesuitarum aliorumque laboribus ad illius impediendum editionem, ille liber in lucem prodidit, statimque plures adversarios, atque etiam defensores obtinuit. Nonnulli eum veluti ipsum Augustinum, ad debellandam Molinistarum doctrinam, e cœlo delapsum laudabant; sed alii, sanæ doctrinæ addicti, inter quos præsertim Jesuitæ, illum prædestinationaria lue, in Baji propositionibus damnata, infectum impugnabant. Contentio continuo crevit: interim liber *Augustinus* Romam delatus, anno 1642 ab Urbano VIII Bulla *In eminenti*, sub gravibus pœnis et censuris, extra mortis articulum Sedi Apostoticæ reservatis, prohibitus fuit; tum quod contra Pauli V constitutionem, ne qui libri, de auxiliis divinæ gratiæ tractantes, sine Sedis Apostolicæ facultate ederentur, fuisset typis mandatus;

tum quod contineret varias propositiones, jamdecessorum suorum Pii V et Gregorii XIII bullis condemnatas. Verum contentiones non sunt sopitae; etenim Janseniani libri defensores Urbani Constitutionem aut obreptitiam, aut subreptitiam esse dicebant, et conversi ad Pontificem et ad regem Hispaniae, impetrare satagebant, ne ad acceptandam Bullam adigerentur; contendentes, in libro Jansenii nonnisi germanam S. Augustini doctrinam esse expositam. Eadem animorum contentio in Galliis visa est, ubi Du Verger Abbas Sanciranus, ejusque discipulus Antonius Arnaud multorum animos ad suscipiendum Jansenii librum præparaverant. Posterior in apologiis duabus an. 1644 editis pro Jansenio, ostendere conatus est, nonnisi Augustini doctrinam in eo propositam esse. Ideo Urbanus Pp. bullam suam in Galliam quoque transmissit, ubi etiam ut in Belgio ejus publicatio atque acceptatio obstacula varia experta est.

Et quidem hanc bullam plures asserebant a Francisco Albizzio, S. Inquisitionis assessore corruptam esse, qui præter intentionem Urbani, propria auctoritate, Jansenii nomen illi inseruit. Hanc vero calumniosam asseverationem esse, exinde patet, quod im possibile plane videtur, aliquem contra talis Pontificis, ut Urbanus VIII erat, voluntatem, bullam adeo gravem redigere ausum fuisse: aut etiam adeo diligentem doctumquem Pontificem, Jansenii nomen, quod sexies in bulla legitur, non vidisse, nec imputationem huic Episcopo factam, ipsum nempe magno fidelium scando, propositiones jam ab Apostolica Sede damnatas, defendere: ex quo sequeretur vel Bullam Urbanum VIII non legisse, vel illam non ausum fuisse corrigere; quod utrumque absonum est. Præterea idem Pontifex in brevi ad Gubernatorem, Episcopos Belgii, Universitatemque Lovaniensem, anno sequenti

dato, Jansenium iteratò nominat, atque etiam deinde prædictam bullam confirmavit. Et sane nullo alio modo, nisi Jansenium ejusque librum expresse nominando, potuisset Pontifex permagna dissidia ab illo libro commota, sedare. Denique ad destiniendum utrum ille liber errores Baji contineret, necesse erat de illo, potius quam de operibus Baji, de quibus tunc non agebatur, judicare. Præcipuum autem illorum argumentum de Bullæ falsitate erat, in exemplari Romano illius datam legi an. 1641, cum tamen in alio a Legato Coloniensi typis mandato legeretur an 1642; verum hæc differentia tantum ex diversa ratione annos computandi oriebatur, Siquidem Bulla die 6 Martii anni communis 1642 fuit data, verum Pontifex juxta morem Romanum annos numerandi ab Incarnatione Domini, superioris anni subscriptionem possuit. Atque hic etiam prava illorum fides appetit, cum hunc Romanum signandi morem non potuerint ignorare. (4)

Itaque Pontifex litteris ad nuntios suos in Gallia et apud Coloniam, et ad internuntium apud Bruxellas, ad Episcopos Belgii, ad Universitates Lovaniensem et Duacensem datis, Constitutionis suæ promulgationem et acceptationem urgebat. In Hispania jam fuerat solemniter promulgata, atque etiam in Polonia et Germania in omnibusque nationibus catholicis; et demum an. 1644 in consilio regio Galliae acceptata, transmissa est ad Sorbonam, quæ quidem notavit propositiones, quæ tamquam a prioribus Pontificibus jam damnatae in ea allegabantur, omnibusque ad se pertinentibus de ea disputare prohibuit; sed quoad alia Bullæ capitula sententiam

(1) Henrion, lib LXXIV, num 19, et lib LXXV ubi fuse Jansenistarum artes narrantur.

suam suspendit. Contentiones igitur magis efferbuerunt, cum Jansenianæ doctrinæ defensores illam omnino propagare studerent; qui præterea Jesuitas præ aliis sibi adversos sentientes, omnia moliti sunt ut illos invisos redderent, libellis famosis, scriptis, et epistolis, in quibus Jesuitæ satyrica et maledica ratione proscindebantur. In Belgio lites aliquantum quieverunt, cum an. 1651, Inocentio X apud Hispaniæ regem agente, hocque et Archiduce Leopoldo imperantibus, Urbani Bulla recepta est.

Interim Jansenii opus a Theologis Parisiensibus mature examinatum fuit, atque ex eo a N. Cornet, septem fuerunt propositiones excerptæ, et ad Sorbonam delatae, censura configendæ. Cum inter Doctores magna scissio, illarum causa, fuisset exorta, res judicio Episcoporum Galliæ, qui tunc solita Comitia Parisiis celebrabant, demandata est. Episcopi numero octogintaquinque ex dictis propositionibus Sorbona censuratis, selegerunt quinque, de quibus maxime disputabatur, et quæ, consentientibus ipsis hoc tempore jansenianis, summam doctrinæ in *Augustino* explicatæ constituebant. Quare litteras obsequentissimas Innocentio X Gallicani præsules scripserunt, quibus propositiones configendas ad illius tribunal detulere, rogantes, ut de singulis perspicuam certamque sententiam ferret. Contra alii undecim Episcopi, Jansenii doctrinæ faventes, Pontificem a ferenda sententia dehortati sunt. Igitur post maturam, longam et accuratam deliberationem, postquam ii etiam, quos adversarii in causæ suæ patrocinium Romam legarant, fuissent auditæ, tandem celeberrimæ illæ quinque propositiones, ex Augustino Jansenii, anno 1653 ab Innocentio X data Bulla *Cum occasione*, damnatae sunt. Verba Bullæ hæc sunt:

I. «Primam prædictarum propositionum: *Aliqua Dei præ-*

cepta hominibus justis volentibus et conantibus, secundum præsentes quas habent vires, sunt impossibilia: deest quoque illis gratia qua possibilia siant: Temerariam, impiam, blasphemam, anathemate damnatam, et hæreticam declaramus, et uti talem damnamus.

II. «Secundam: *Interiori gratiæ in statu naturæ lapsæ numquam resistitur:* Hæreticam declaramus, et uti talem damnamus.

III. «Tertiam: *Ad merendum vel demerendum in statu naturæ lapsæ non requiritur in homine libertas a necessitate, sed sufficit libertas a coactione:* Hæreticam declaramus, et uti talem damnamus.

IV. «Quartam: *Semipelagiani admittebant prævenientis gratiæ interioris necessitatem ad singulos actus, etiam ad initium fidei, et in hoc erant hæretici, quod vellent eam gratiam talem esse cui posset humana voluntas resistere vel obtemperare:* Falsam et hæreticam declaramus, et uti talem damnamus.

V. «Quintam: *Semipelagianum est dicere Christum pro omnibus omnino hominibus mortuum esse, aut sanguinem fudisse:* Falsam, temerariam, scandalosam, et intellectam eo sensu, ut *Christus pro salute dumtaxat prædestinorum mortuus sit*, impiam, blasphemam, contumeliosam, divinæ pietati dergantem, et hæreticam declaramus, et uti talem damnamus.

«Mandamus igitur omnibus Christi fidelibus utriusque sexus, ne de dictis propositionibus sentire, docere, aut prædicare aliter præsumant, quam in hac præsentí nostra declaratione et definitione continetur, sub censuris et pœnis contra hæreticos et eorum fautores in jure expressis.» Addidit præterea Pontifex, se per hanc de quinque propositionibus declarationem, nullatenus approbare alias propositiones in libro Jansenii habitas.

Missa fuit hæc bulla ad Imperatorem, Galliæ regem, cæterosque principes catholicos, Hispaniæ Inquisitorem, et præserlim ad universos Galliæ Episcopos, qui omnes summa veneratione et concordia illam receperunt, sicut omnes catholicæ nationes, ita ut hæc Bulla tamquam Ecclesiæ universæ sententia spectari debeat. (4) Ipsi Janseniani fatebantur quinque propositiones esse meritò damnatas, verumtamen doctrinæ suæ præfracte adhærentes, et ad versutias et cavillationes conversi, negarunt illas nec quoad verbum, nec quoad sensum in libro Jansenii reperiri, adeoque hæresim Janse nianam chimericam et imaginariam appellarunt. Sed hoc alterum jansenianorum effugium ipsis omnino præclusit Alexander VII Pont. lata Constitutione, *Ad sacram, an. 1656*, qua decessoris sui Bullam confirmavit, et hæc decrevit: *Cum autem, inquit, sicut accepimus nonnulli iniquitatis filii prædictas quinque propositiones in libro Jansenii prædicto non reperiri, sed sicut et pro arbitrio compositas esse, vel etiam sensu, ab eodem intento, damnatas non esse, asserere magno cum Christi fidelium scandalo non reformidant: Nos.... præallatam Innocentii prædecessoris nostri declarationem, Constitutionem et definitionem, harum serie confirmamus, approbamus, innovamus, et quinque illas propositiones ex libro præmemorati Cornelii Jansenii excerptas, et in sensu, ab eodem Cornelio Jansenio intento, damnatas fuisse, declaramus et definimus, et uti tales iterum damnamus. &c.*

Quantum autem sit hæc pontifícia declaratio rei veritati conformis, et quam perperam Jansenistæ ad illas excusationes configuerint, ex ipsius Augustini lectione perspicue ap-

(4) Cf. Receveur, *Hist. de la Iglesia* tom. XIV. lib. XLII-Madrid 1847.-Dumas: *Histoire des cinq propositions de Jansenius*,-Paris 1821.

paret. Episcopi namque Galli, qui anno 1654 consueta Comitia celebrantes has propositiones cum libro Jansenii diligentissime contulerunt, declararunt illas in dicto libro vera haberi, atque in proprio sensu, etiam auctoris, fuisse damnatas; quam declarationem ad Innocentium X transmiserunt, qui illam confirmavit. Et quidem prima propositio ad verbum in libro III cap. XIII de *Gratia Salvatoris* habetur, ubi asserit Jansenius, nihil esse in S. Augustini doctrina certius ac fundatius, esse præcepta quedam, quæ hominibus, non tantum infidelibus, execratis, induratis, sed fidelibus quoque, et justis, volentibus et conantibus, secundum præsentes, quas habent vires, sunt impossibilia; deesse quoque illis gratiam quæ possibilia fiant. Secundam propositionem virginis locis docet, inter quos cap. 25 libri citati ait; *Haec est vera ratio, ut nulla omnino medicinalis gratia Christi effectu suo careat; sed omnis efficit ut voluntas velit et aliquid operetur;* quæ doctrina reformatorum placitis simillima est. Non minus clare tertiam propositionem Jansenius adstruit lib VI cap. 6 cui hunc titulum inscribit: *Duplex necessitas Augustino, coactionis et simplex seu voluntaria. Illa, non haec, repugnat libertati.* Docetur etiam quarta propositio, lib II. cap 12 et III cap 4, aliisque pluribus in locis, atque ex ejus principiis manifestò sequitur, cum passim dicat Jansenius et quasi totius suæ doctrinæ bassim stabiliat, nullam aliam in statu naturæ lapsæ dari gratiam, præter eam, quæ ex natura sua sit efficax, et cui resistere vel obtemperare non sit in potestate voluntatis humanæ. Denique cap 2 et 24 lib III de *Gratia Salv.* doctrinam quintæ propositionis defendit, cum ait, Patres non credidisse Christum mortuum pro salute omnium hominum, sed contraria, talem opinionem tamquam errorem fidei contrarium habuisse; sententiam S. Augustini

esse, Christum pro salute dumtaxat prædestinaturum mortuum esse, nec magis Patrem pro æterna liberatione reproborum, quam pro diaboli, deprecatum fuisse. Ex quibus patet Jansenistas, ad instar talparum, in duas cæcitates incurrisse, id est, eos vidisse in Jansenii libro ea quæ non sunt, scilicet doctrinam S. Augustini, et non vidisse vel potius noluisse videre ea quæ sunt, videlicet quinque propositiones damnatas, quas octo Summi Pontifices, innumeri Episcopi, celeberrimæ Academiæ, Doctoresque, in ipso reperiri et cum ejus principiis omnino connexas sæpissime declararunt. (1) Imo ait Henrion quemdam præclarum scriptorem sentire, nihil aliud ex *Augustino Jansenii* exprimendum, si prælo inferretur, quam quinque propositiones.

Igitur post memoratam Alex. VII Constitutionem, formulamque submissionis eidem, ab Episcopis Galliæ conditam, ut ab omnibus clericis subscriberetur, Jansenistarum factio, subdit Wouters, instar colubri tortuosi, cuius caput attritum est, per gyros et cavillationum deflexus auctoritatem, quæ damnabatur, effugere conata, excogitavit celebrem distinctionem *juris et facti*. Afferuerunt, Ecclesiam quidem esse infallibilem in quæstionibus *juris* sit ne hæc aut illa doctrina orthodoxa an heretica, non vero in quæstionibus *facti*, an ea doctrina in hoc vel illo libro contineatur necne, aut qui sit libri ejusque auctoris sensus. Unde contendebant assensum fidei quidem esse prestandum Ecclesiæ judicio de quinque propositionibus in se spectatis, non vero relate ad librum Jansenii; sive rem novis quæstionibus involvere studuerunt. Hujus vero distinctionis iniquam versutiam

(1) Cf. Ign. Hiac. Amat de Graveson, *Historia Ecclæ*. tom. VIII coll. 3.—
Henrion, lib. LXXVI num. 21.

quisque facile intelligit, ex eo quod illa Ecclesiæ infallibilitatem de medio tollit, quæ nisi in his factis esset infallibilis, pariter non esset in docendo populum sanam doctrinam. Irrita proinde et vana essent Pontificum et Episcoporum decreta, cum enim quisque suæ sententiæ tenacissimus sit, nolle subjici, semperque regnarent in Ecclesia perpetuae lites, contentiones et jurgia, (1) ut alia præteream.

Præcipui autem Jansenistarum coriphæi, A. Arnauld, B. Pascal, P. Nicole, et de Sacy in cœnobium Portus Regalis se repperunt, ubi moniales omnes hac hæresi macularunt, quæ ob id ab Archiep. Parisiensi sacramentorum usu private sunt; verum pleræque contumaces perseverarunt. Cum vero hi a pluribus protecti quotidie motus augerent, Ludovicus XIV rex ab Alex. Pont petiit, ut ipse certam fidei formulam præscriberet subscribendam, qua iis medium eludenti apostolicas constitutiones eriperetur; cui assentiens Pontifex an. 1664 sequentem omnibus præcepit, quam Rex et omnes Episcopi, quatuor exceptis, subscribere imperarunt:
Ego N. Constitutioni Apostolicae Innocentii X datae die 51 Maii an. 1655 et Constit. Alexandri VII datae die 16 Octobris an. 1656 SS. Pontificum me subjicio, et quinque propositiones ex Corn. Jansenii libro cui nomen Augustinus excerptas, et in sensu ab eodem auctore intento, prout illas per dictas Constitutiones Sedes Apostolicae damnavit, sincero animo rejicio et damno, et ita juro. Sic Deus me adjuvet &
Verum hæc formula novis dissensionibus occasionem dedit, cui absque perjurio subscribi non posse contendebant ab iis, quibus non esset persuassum propositiones in Augustino

(1) Cf. Perrone de Locis Theol. part. I. cap. IV, prop. II, et quæ ibidem dicit de Fenelon, præsertim in nota 3 object. 2.

contineri, atque ideo exprimendam esse distinctionem *juris et facti*. Quatuor Episcopi Alectensis, Bellovacensis, Apamensis et Andegavensis formulæ Alexandrinæ absolutam subscriptionem denegarunt, et in litteris suis pastoralibus docuerunt, Constitutionibus Pontificiis, quantum *ad jus* seu dogma spectabat, præstandum esse assensum fidei, quantum vero *ad factum* pertinebat, sufficere obsequiosum silentium: atque hoc modo ad deprimendam Ecclesiæ infallibilitatem maligne confundebant facta mere humana seu historica cum dogmaticis. Pontificis ergo et Regis mandato adversus hos Episcopos judicium canonicum institutum est, quod tamen tum fraudulentis testificationibus, tum amicorum patrocinio, dum vixit Alexander VII, vitare potuerunt. Verum Clemens IX causam contra illos jussit conficiendam, sed tum alii 19 Episcopi pro illis intercesserunt, ut ad vitanda scandalata, res compositione finiretur, ita ut hi ad retractandas priores suas pastorales non compellerentur, sed sincere formulæ suscriberent. Tunc illi ad Pontificem litteras misserunt, se formulæ subscrississe eadem ac cæteri Episcopi ratione, (licet aliam novam) suscriptionem confecerint in actis secretis servatam) quod sincere et sine restrictione ab illis factum esse, ad Clementem IX etiam scripserunt Episcopi pacis mediatores; qui his testimoniis persuassus an. 1669 cæptum contra ipsos judicium absolvit, siveque, licet non ad multum tempus, dissensiones finitæ sunt. Atque hæc est celebris illa *pax Clementina*, de qua alio loco nonnulla dicemus, ut appareat inepte prorsus ac perperam Jansenistas de illa gloriari, quasi nempe ab hoc Pontifice distinctio *juris et facti* probata sit.

Quæ hucusque diximus, ut jansenianæ hæresis maligna indoles dignoscatur, satis sunt. Ista quidem hæresis ex na-

tura sua subdola, velut una ex gravissimis Ecclesiæ calamitatibus spectari debet. Nam videntur ejus sectatores, se in praxim redigere voluisse detestabilem illam cogitationem, (*projecto de Bourg-Fontaine*) quam quidam ad perdendum Ecclesiam aliquibus retro annis conceperunt. De qua cogitatione, an realiter habita fuerit, multum disputatur; non enim credibile videtur in sanam mentem potuisse tam absurdum et horribile consilium devenire. Scilicet Sacramentorum susceptionem, praesertim SS. Eucharistiæ, difficillimam reddere; gratiæ efficaciam extollere, ita ut liberum arbitrium evanesceret; directorum spiritualium famam premere; Romanum Pontificem impetere; atque Ecclesiæ infallibilitatem plurimum restringere. Sed aliunde Jansenistæ in posterum taliter egerunt, velut si de facto hujus nefarii consilii singulas partes perficere contenderent. Hoc certe effecerunt Arnaldi liber *De frequenti communione*, Jansenii *Augustinus*, Nic. Pascal *Epistole provinciales* adversus Jesuitas, atque ipsorum Jansenistarum cum Pontificibus agendi ratio, subterfugia et appellations. Alioquin qui hoc consilium primus denuntiavit, propheta dici deberet, quia quæ ipse dixit, eventus confirmavit. (1)

Verum quidquid de hoc sit, dubitari tamen non potest Jansenismum mala quamplurima et gravissima Ecclesiæ intulisse. Quod mirum non est, cum exploratum sit, Jansenii doctrinam ex Luthero et Calvinio recte fluere, de quo nihil dicimus, siquidem hoc ad theologos proprius spectat, (2) ip-

(1) Hujus quæstionis aliquod specimen suppeditat Henrion, lib. LXXIII num. 12.

(2) Cf. Deschamps *De hæresi Janseniana ab Apostolica Sede meritò damnata*.—Henrion, lib. LXXIV num. 22 et seq.—Tournely. *De gratia*.—Bergier, art *Jansenismo*.

seque Moshemius fatetur. Hæc autem hæresis, ait Bergier, religionis summam in animis perturbavit, viam incredulitati paravit, atque Ecclesiæ auctoritatem parvipendere fecit. Socinianis ut convellerent traditiones favit, Deistis ut miracula suspecta redderent, aliaque ejusmodi. Quæ præterea velut una ex præcipuis causis publicæ rei subversionis in Gallia, sub finem sæculi elapsi, haberi debet. Quæque demum optandum esset, ut vel ex ipsa hominum memoria deretur.

Ex his autem quæ insequenti sæculo dicemus hujus hæresis in doles rebellis et pessima clarius patebit. Interim legi potest noster imm. Balmes, qui proprium hujus sectæ character rectissime depingit, ejusque lethale influxum ostendit. Atque hic observatione dignum est quamcumque sæculorum præcedentium hæresim post Ecclesiæ damnationem cito evanuisse, sed tamen jansenismum (qui forsitan *postrema hæresum* erit, et Antichristum immediate præcedet) post multas damnationes iterum atque iterum revixisse, quadam calliditate usum aliis sectis incognita. (1)

(1) Balmes, *El Protestantismo & tom. I cap. IX - Receveur, Hist. Eccl. tom XIV, pag. 249, in nota.*

CAPUT XIII.

De aliis hujus saeculi hereticis.

Praeter atram a Jansenismo commotam in Ecclesia tempestatem, insidias etiam graves hoc saeculo verae fidei moliti sunt alii plures improbi audacesque homines, qui omnem religionis et pietatis sensum extinguendum sibi propuisse ostenderunt, Magnas quidem ab eis clades Ecclesia experta est, cum talis illorum errorum indeoles effrænis esset, ut non solum omnia ejus fundamenta de medio tollerent, sed insuper omni pene religioni bellum indicerent. Itaque breviter præcipios referemus, quorum perniciosum influum ad nostra usque tempora pervenisse sentimus; etenim vittiorum hodiernorum colluviem, immoderatam de rebus sacris diputandi licentiam, incredulitatem, aliaque mala iisdem deberi fatendum est.

Ac primo quidem *Edmundus Richerius*, Syndicus sorbonicus, tale systema in libro *de Ecclesiastica et politica potestate* an. 1611 evolvit, ut nullum aliud ad fovenda schismata et essentiale Eccœ constitutionem convellendam aptissimum excogitari posset. Etenim affirmans quamlibet societatem, etiam civilem, habere jure naturali potestatem se ipsam gubernandi, sibi a Deo immediate collatam, infert deinde Christum fundando Ecclesiam claves seu jurisdictionem prius, præcipue et principaliter dedisse toti Ecclesiæ, quam Petro et aliis Apostolis. Et quemadmodum facultas visiva non oculis, n se spectatis convenit, sed corpori quod cernit per oculos,

sie Ecclesia seu societas omnium fidelium potestatem a Deo accepit, quam per Episcopos et Papam exercet: proinde hos non esse nisi ministros vel potius instrumenta Ecclesiae, Pontificemque caput ejusdem ministeriale. Richerii liber a duobus conciliis Senonensi et Aquensi damnatus fuit, an 1612, ipseque Richerius regia auctoritate et Universitatis decreto syndici officio privatus. Quanto vero jure haec sententiae fuerint damnatae ex levi earumdem inspectione, tum etiam ex ipsius Richerii retractatione, quam an 1629 suo nomine signatam Cardin. Richelius tradidit, qua librum suum improbavit, aperte patet. Sic ait; «Hanc propositiōnēm seu potius hæresim ex putridis Lutheri et Calvini fontibus me hausisse non diffiteor, qui ambo impie falsoque contendunt, proprie et immediate jurisdictionem Ecclesiae fuisse datam a Christo, non Sto Petro, aliis apostolis et epis copis, nisi per accidens, instrumentaliter et nomine Ecclesiae .. &. Nec minus mihi ridiculum fuit dicere, eundem Papam esse *caput ministeriale*, ac si esset Ecclesiae minister, quemadmodum apparitores sunt ministri justitiae.» Igitur non est mirum hoc systema a Quesnellio et Febronio postea instauratum fuisse. (1)

Hanc vero declarationem fuisse vi et metu extortam et postea a Richerio revocatam, Morisotus et alii hostes contendunt, ad quos refellendos Nat. Alex. Mamachium sequutus validissima argumenta suppeditat. Pontificem Urbanum VIII, illi ajunt, graviter Richerii librum tulisse, multaque promissise Espernonio Duci et Cardin. Richelieu, modo eo-

(1) Perrone, *d' Loci Theol.* part. I cap. II prop. II in nota.—Nat. Alex. Supp. tom. II dissertation V art. 20, cum auctoribus ab ipso citatis. Moyeri, *Diction. art. Richerius.*

rum auctoritate Richerius aut in Romanorum potestatem veniret, aut quæ scripserat revocaret: igitur illum, artibus Richelieu, a Josepho Capuccino ad prandium fuisse invitatum, atque nihil suspicantem venisse; tunc oppressum, armatisque satellitibus coactum, ut non deseriberet modò, sed etiam probaret palinodiam eorum, quæ in suo libro continentur, et paulo post mortuum fuisse. Ostendit vero Nat. Alexan. epistolam Morisoti mendaciorum esse refertam, nullamque fidem mereri, ipsum in magna rerum Richerii ignoratione versari, in nostrosque esse male animatum; denique ex gravissimorum virorum testimoniis, et e publicis tabulis et instrumentis constare, Richerium declarationem a Cardinali propositam sponte libereque subscrispsisse. Tres præterea Doctores qui illum ægrotantem inviserunt, coram publico Notario declararunt, Richerium dixisse se nullis minis aut metu unquam adductum fuisse, et illos esse suos inimicos, qui rumorem spargebant, se prædictam declarationem invitum fecisse.

Sub cederæ tempore fere similes assertiones protulit *Marcus Antonius de Dominis*. Hic relicita societate Jesu in qua plures annos exegerat, primo Episcopatum Segniensem, deinde Archiepiscopatum Spalatensem adeptus est. In dissidio interdicti Venetiani pro senatu scripsit, sed ejus sententiae damnatae a Papa sunt. Tunc odium et contemptum suffrancorum expertus, dolore amissæ litis et innata animi inquietudine percitus, infaustum consilium de patria et fide deserenda cepit, per variasque nationes erravit, donec in Angliam se recepit. Ibi ut regem sibi devinciret pessimum librum de *Republica Ecclesiastica* edidit, quo omnem Ecclesiæ œconomiam evertere tentavit. Contendit nempe regimen Ecclesiæ e sua institutione esse aristocraticum; Petrum non

fuisse principem Apostolorum, sed cum his aequalem; Papam non habere potestatem in Episcopos; plebem christianam ex institutione divina habere jus eligendi sacros ministros, ejusque consensum in eligendo Episcopo esse requirendum. Denique non solum Primum Rom. Pont., sed etiam necessitatem capituli visibilis in Ecclesia negat. Facultas Parisiensis hoc opus damnavit an. 1617 et quinquennio post de Dominis etiam errores suos detestatus est, et veniam a Pontifice Greg. XV petiit, quam opera Hispanici Oratoris accepit. Cum vero deinde ad vomitum reverteretur, atque interceptae litterae fictam redderent ejus palinodiam, jussu Urbani VIII in Arcem Sti Angeli conjectus fuit, ubi an. 1625 decessit, ejusque corpus et scripta combusta sunt. Hanc quidem poenam graves illos errores meruisse, illius temporis praesertim habita ratione, satis colligitur ex iis quae verissime Bellarminus in prefat in libros de Rom. Pontif. n. 2 scripsit; «De qua re agitur, cum de Primitu Pontificis agitur? Brevisse dicam, *de summa rei christianæ.*» Proindeque ad salutarem terrorem aliis incutiendum, qui tam infanda docuit, gravissimamque schismatum omnium segetem possuit, graviter etiam puniri debebat. (1)

Prava etiam dogmata Michael Molinos, Cæsaraugustanus, mysticismi praetextu docuit, quæ «fideles a vera religione, et a christianæ pietatis puritate in maximos errores et turpissima quæque inducebant.» Animam nempe posse in hac vita ad tantam cum Deo unionem pervenire, ut cum eo unum sit; tentationes pessimas esse spernendas, et non ni-

(1) Cf. Dom. Berinus, qui omnes De dominis errores numerat in *Historia heresum saec. XVII*, cap. I Romæ 1731. Legi etiam possunt apud Nat. Alex. loc. cit. art. 21.

si passive eis resistendum; propriam animæ annihilationem esse querendam, qua ipsa media cum Deo uniri possit et quiescere (unde nomen *Quietistarum*) minime sollicita de his quæ corpori obveniunt. Ex quo principio veluti fonte hauriebat nullum actum animæ positivum aut præmio aut pœna dignum esse, cum nec anima nec ejus potentia annihilationæ cooperentur. Hinc facilis in omne scelus, omnemque voluptatem ruina. Præterea asserebat libidines et alia hujus modi non esse peccata, et imperfectionem esse quidquam a Deo petere, aliaque non minus abominabilia. Quare Innocent. XI an. 1687 data Bulla, plures propositiones e Molinos scriptis deductas tamquam hæreticas, scandalosas, blasphemas, et suspectas damnavit, ipseque in vincula conjectus est usque ad obitum suum.

Falsò autem supponit Moshemius Molinos præcipue damnatum fuisse, eò quod inutilitatem externi cultus et cærenomiarum prædicaret. Etenim plures egregii viri, Bossuet, des Marais, card. Noailles, aliique, qui Molinos impugnabant, aperte ostendunt illius systema abominabile esse, veteres Beguardorum errores suscitare, et ad scelestæ quæque flagitia patranda ostium aperire, quorum argumentorum summa apud Amat de Graveson videri potest. Speciatim vero legi debet Sti Alphonsi de Ligorio dissertatio decima quarta, qua invictissime demonstrat, hanc hæresim ex eo præcipue pessimam esse, quod ex una parte bonum destruit, ex altera vero malum sovet: (1) quare jure affirmat Pacichellus

(1) Amat de Graveson. *Hist. Ecc.*, coll. III sœc. XVII.—Stus Ligorius apud Bergier, *Diction Theol. art. Molinos*, in additionibus factis ab Exemo. Dno. D. Ant. Monescillo, dudum hujus Diocesis, nunc vero Gieppensi præclaro Episcopo. Madrid 1846.

hanc pseudomisticam doctrinam cuiusvis erroris infamiam longe superasse.

Pseudo mysticismum etiam propagare conata est in Gallia nobilis vidua Joanna de la Mothe Guyon, cuius occasione non modica concertatio inter Bossuet et Fenelon fuit excitata. Nam Fenelon Archiep. Cameracensis Joannæ persuasit ut libros suos Bossuetii judicio submitteret, qui 54 articulos ex illis rejiciendos proposuit, quos Fenelon subscribere recusavit. Existimans enim Joannam potius in ratione exponendæ mysticæ doctrinæ quam in ipsa errasse, ejus sententias de contemplatione, morte spirituali animæ, unionе substantiali cum Deo, aliisque in sanum sensum explicare contendit in libro *des Maximes des Saints sur la vie intérieure*, verum Bossuet illum acriter impugnavit, et apud Ludov. XIV egit ut hic liber Romæ damnaretur; atque lis inter utrumque antistitem ad Pontificem delata est. Innocentius XII re diligenter discussa, an. 1699 Brevem dedit in quo 23 propositiones ex libro Fenelon excerptas damnavit. Fenelon egregio humilitatis et submissionis exemplo censuram pontificiam non tantum approbavit, sed etiam consenso in Ecclesia sua metropolitana suggestu praelegit, et auditores admonuit ut eidem obtemperarent, idemque in litteris fecit ad clerum suum datis.

Sed jam de aliis gravioribus impietatibus et erroribus aliqua breviter referre præstat. Quare nihil dico de *Isaaco La Peyrero, Preadamitarum duce*, qui in libro an. 1655 scripto stulte contendit, contra universam fidem Scripturarum, traditionumque, etiam popularium, Adamum non esse universorum hominum, sed tantum judæorum parentem, et ante eum alios extitisse homines a Deo conditos, quos neque Adami prævaricatio perdidit, neque universale diluvium dele-

vit: quod absurdum commentum ab omnibus rejectum est, ipseque postea abjuravit. Extiterunt autem hoc sæculo nonnulli homines qui eò impietatis et insaniae devenerunt, ut non tantum religionis fundamenta, sed ipsius etiam Dei naturam et existentiam convellerent. Et primò *Luc. Vanini*, Neapolitanus sacerdos apostata, in cæno libidinum demersus, non tantum reuelatam sed etiam naturalem religionem, Dei existentiam, atque animæ immortalitatem impugnavit, quapropter an. 1619 jussu senatus Tolosani, tamquam prototypus combustus est; et meritò quidem, indignus est enim vita qui Deum vitæ auctorem negat. Nolo autem Bælio respondere, qui hanc Vanini mortem refert, ut inde concludat, etiam atheismo suos martyres non defuisse; hoc enim plane absonum est, ut per se patet. Id vero quod ait, ut suo argumento robur addat, Vaninium honeste vixisse, ex testimonibus oculatis qui de ejus flagitiosa vita fidem faciunt, corruit; præterquamquod illius scripta omni turpitudine scatent.

Post hunc eamdem impietatem amplexus est *Ben. Spinosa* Judæus Lusitanus, qui atheismum seu potius pantheismum geometrice exponere conatus est, discipulosque habet *Meyerum* et *Lucam*, *Medicos*, *Jo. Tolandum* et comitem *Browlainvilliers*. Libris suis id aperte agit, ut hanc rerum universitatem a Deo minime differre, et quæcumque fiunt æterna et immutabili lege naturæ, ex infinito tempore necessariò agentis, contingere convincat. Non esse nisi unicam substantiam, extensam simul et cogitantem, omnia vero quæ existunt et fiunt non esse nisi modisicationes ipsius substantiæ, et quidem animæ, quatenus est cogitans, reliqua entia, quatenus extensa est. Hoc vero quam absurdum est nemo non videt, etenim si verum esset jam unusquisque sibi

Deus esset, nec amplius peccare posset, cum hoc systema, ut patet, libertatem humanæ voluntatis, et moralitatem humanarum actionum e medio tollat. Obiit in Hollandia an. 1677.

Nescio autem quo fundatione nonnulli affirmant Spinosam suum systema ex Cartesiana philosophia deduxisse; etenim nihil aliud fecit nisi Cartesii principia sophistice detorquere ad pantheisticam suam molem construendam. Etsi enim verum sit Cartesium cogitationem et extensionem admittere, tamquam essentialia attributa spiritus et materiae, tamen ex oppositione horum essentialium attributorum, essentiali etiam differentiam utriusque concludit, Deumque admittit ab hac universitate prorsus distinctum, utpote substantiam infinite perfectam, quæ necessariò limites excludit; mundus vero constat substantiis imperfectis, atque a Deo plene dependentibus. Quæ omnia a systemate Spinosæ toto cœlo differunt, imo ex Cartesio ipso a pluribus Spinoza impugnatur.

His omnibus illi etiam addendi sunt *Deistæ seu Naturalistæ*, qui divinam quamcumque revelationem rejicientes, religionem quam dicunt naturalem adstruxerunt. Horum præcipui fuere Herbert baro de Cherburi, et Blount. Hic religionis christianæ originem suspectam reddere sibi proposuit, Apollonium Thianensem cum Christo comparans. Quos deinde alii plures sequuti sunt, qui viam pararunt, ut sequenti saeculo longe major numerus a vera religione deficeret. Absurditatem hujus systematis quisque videt; perinde enim est sola religione naturali contenti esse ac nullam religionem habere, vel tot religiones quot capita admittere. Quanta vero mala tales impietas Ecclesiæ pariter ac societati intulerint, rebelliones, seditiones, ac motus, insequen-

ti sæculo videbimus. Compertum est enim veram pacem, populorumque progressum, religionis incolumente solidari, et contra, fide negata, citò interire. Atque hoc inter præcipues et pessimos protestantismi fructus numerari debet, siquidem filiationem deismi ex protestantismo veluti per gradus, et ex ipsa rei natura, La Mepnais demonstrat. (1)

Antequam vero huic capiti finis detur, nonnulla de *Quakeris* dicenda sunt, qui potentiores hujus sæculi sectam constituerunt, quæ adhuc magna morum severitate, perdurat. Parens ipsorum fuit Georgius Fox sutor, quo tempore in Anglia omnia bello civili ardebat, quapropter facilime potuit plurimos suæ parti perducere. Ad quod etiam plurimum ipsius dogmata contulerunt, quæ homines ab omni cultu externo et religionis officiis absolvebant, simulque vecigalia et tributa damnabant, sacerdotes rejiciebant, et severiorem moralem doctrinam prædicabant. Nempe voluptates omnes, oblectationes, pompas et luxum in vestitu et superflue tamquam res sensualitatem nutrientes, prorsus fugiendas esse, aut si omnes per naturæ legis vitari nequeunt, moderatione esse temperandas: nefas esse receptos vulgi mores imitari; hinc alios salutare aliter quam secunda persona, caput denudare, aliosve honores cuiquam, rege non excepto exhibere, illicitum esse: atque etiam accurate jura menta et bellum esse vitanda. Asserebant præterea omnibus a Deo lumen inditum, quod Christus internus appellatur, quo duce omnes salvari possunt, et juxta quod est agendum; ex quo principio prædicandi et docendi facultatem, quibus placet, tam viris quam fæminis tribuebant. Eorum sacra in-

(1) *Essai sur l' indifference en matière de religion*, cap. 4 y 5= Bergier lib. cit. art. Deismo. Balmes, *El protestantismo*, etc. tom. 1. cap. IX.

eo solo consistebant, quod prout quis à lumine interno excitabatur, nudato capite vel ad dicendum surgeret, vel ad orandum in genua procumberet, cæteris idem facientibus; si vero nemini quid in mentem veniebat, totus cœtus, ne verbo quidem audito, discēdebat.

Hæc autem doctrina plurimas turbationes in Anglia excitavit, atque ideo in Quakers, qui fanatico ardore sectam propagare studebant, severe animadversum est. Quamobrem Guillermus Penn, unus e præcipuis sectatoribus, qui pro debiti solutione, quod patri suo natio debebat, unam provinciam in America a rege et senatu obtinuit, ibi secessit, cum Fox et aliis multis; a suo nomine *Pensilvaniam* vocavit, ubi quemque *Filadelphiam* fundavit, ubi præcipua illorum sedes ab an. 1682 posita est. Adhuc Quakeri in illis regionibus austera vivendi ratione, vestitu, consuetudine, facile ab omnibus distinguuntur, etsi a primæva severitate plurimum defecisse certum sit.

Immoderatis laudibus hanc sectam auctores *Encyclopedie* extollunt, eo sane fine, ut de catholicis detrahant. Quakers enim cum primævis christianis comparare audent, ut inde inferant ipsos solos, non vero catholicos, puriorēm J. C. doctrinam in praxim redigere. Ostendit vero Moshemius, qui certe suspectus videri non potest, illorum antesignanos Fox et Penn in multis reprehendi debere, primosque sectarios fanaticos insanos et turbulentos fuisse, qui magistratus despiciebant, pacemque perturbabant, propter quæ a judicibus acriter puniri debuerunt, licet Anglia omnes sectas, etiam absurdissimas, toleraret. Imo si civi de Virginie fides habenda sit, talem de Fox et Quakeris ideam formare deberemus, ut nec probi homines a nobis ipsi judicarentur: quare a christianis priorum sæculorum prorsus differunt.

CAPUT XIII.

De Missionibus catholiciis.

Lætam nunc narrationem, etsi breviori calamo, suscipimus, quæ in magnum Ecclesiæ decorem atque laudem non potest non devenire. Ipsa enim hoc sæculo per totum, qui nobis notus est, orbem terrarum, innumeros filios Christo peperit, et per remotissimos populos, qui in tenebris sedebant, evangelicæ lucis coruscantes radios diffudit, atque ita magnam illam defectionem protestantium, quam in Europa passa est, multipliciter in America, Asia et Africa reparavit. Etenim innumeræ pene missiones, ab ipsa perfectæ, uberrimos fructus dederunt, que inter ejus meliora fata numerandæ sunt. Non est ergo mirum Protestantés, invidia actos, in missiones furere, earumque gloriam suis accusationibus obscurare conari. Quapropter ad illas a conviciis vindicandas aliquid significandum est.

Jam a sæculo præcedenti Stus Franciscus Xaverius Indiam fere totam Christi notitia et fide ditavit, cuius laboribus religio christiana ita propagata fuit, ut in pluribus urbibus, velut Cochini et Meliapuri sedes episcopales, Goæ vero metropolitica sint erectæ. In Japonia vero tot tamque insignes progressus fecit, ut paucorum annorum spatio numerus christianorum ad sexcenta millia et amplius pervenerit, quod mirandum non est, eo quod Deus ejus apostolicos labores linguarum et miraculorum donis roboraverit.

Semen autem ab eo jactum ita mirabiliter crevit, ut sexaginta post ejus mortem annis 12,000,000 christianorum ibi essent, etsi postea teterrima persecutione durante pene sus-

focatum sit. Reges Bungi, Arimæ et Omuræ aliquæ plures magnates fidem amplexi sunt, qui ad Greg. XIII an. 1584 Legatos miserunt, qui Pontifici obsequium professi sunt, novosque missionarios postularunt, ipseque Imperator Nobunaga christianis favebat; verum post hujus mortem *Tai-kosama* a bonzis excitatus missionarios omnes exulare jussit. Ad quod Batavi non parum contulerunt, qui Hispanorum invidi, ipsos accusarunt de consilio imperium ad se, missionariorum ope, transferendi. Quare plures atrocissimis suppliciis interfecti sunt, ex quibus maxima pars Hispani fuerunt. Inter quos viginti sex qui crucibus affixi gloriose obierunt, a sanctissimo PP. Pio IX die Pentecostes an. 1862, convocatis ad id ex omnibus mundi partibus Episcopis 310, magna solemnitate, et Urbis Orbisque lætitia, inter Sanctos numerati sunt. Horum nomina, necnon ritus et cætera ad canonizationem spectantia, festaque insignia Romæ habita, in tom. II Ephemeridis Hispalensis *La Cruz* an. 1862 continentur.

Magis adhuc persequutio sæviit sub *Dai fu-sama*, qui imperfecto imperatore, potestatem usurpavit, et adversus christianos severissimas leges tulit, sub pena mortis aut imperio exire aut ad cultum patrium redire jubens; quare cum ethnici mandarini legem imperatoris contra fideles urgebant, multi eorum martyrium pertulerunt. Eamdem sortem experti sunt postea sub *Xogunsama*, an. 1616, qui patrem crudelitate vicit, et severiora edicta promulgavit, vi quorum horrenda supplicia sine sexus, ætatis, aut conditionis discriminé, in christianos exercita sunt. Tandem *Toxogunsama* persequotionem ita prosequutus est, ut post ejus mortem 1650 pauci superessent christiani; atque ita vera fides inscrutabili Dei consilio, penitus in Japonia deleta est, et tan-

tum Batavis ibi veniendi facultas est data, ea tamen conditione, ut Crucifixi imaginem conculcare tenerentur. Vix credibile videtur quot suppliciorum genera in illis regionibus christiani pertulerint, et quam heroica fortitudinis et constantiae exempla dederint, adeo ut merito cum priorum sacerdorum martyribus conferri queant. Horum quorundam insignium martyrum acta et processus Nat. Alex. habet, tormentorum vero specimen tum apud Henrion, tum apud Postel et alios videri potest. (1)

Ut hanc eximiam certe laudem increduli Ecclesiæ abripiant, non causa religionis, sed tamquam rebelles, japonenses punitos fuisse asserunt, sed hanc calumniam ipse baro de Harem, licet Batavis addictissimus, abunde rejicit, qui ostendit numquam Japonenses nisi pro legitimo principe adversus usurpatores decertasse. Quod in magnum Batavorum dehonestamentum cœdit, qui victorum vindictam excitarunt, tumque etiam maximam Ecclesiæ gloriam affert, quæ tales filios gignit, qui usque ad sanguinem regibus fideles sunt.

Verum de hac clade solatium per alias missiones Ecclesia accepit. Etenim instituta est hoc sæculo an. 1622, a Gregorio XV saera Congregatio de *Propaganda fide*, quæ missiones ubique terrarum soveret ac dirigeret, sub cuius influxu fidei progressus abunde omnes alias præcedentium temporum superarunt. Hujus merita etiam ipse Moshemius confitetur: Ranke vero hæc ait, «*Quis non agnoscit innumera beneficia quæ Propaganda philosophiæ, et generali linguarum scientiæ attulit?* Verum speciatim animum intendit præci-

(1) Nat Alex. *Supp.* tom. II, dissert. III, cap. I.—Henrion *lib. LXXI* et alibi.—Postel, *Hist. Ec.* cap. X, pag. 508 et seq.—Receveur *lib. XLIII p. 88* et.

«poo suo muneri propagandi fidem, quod quidem felicissimo successu perfecit.» Et quidem hujus collegii alumni in omnibus compertis linguis loquuntur, et ad remotissimos populos se conferunt.

Hæc congregatio, præter alia, tipographiam habet eum characteribus 48 linguarum, magnam Bibliothecam et locupletatum archivum possidet, et a tredecim cardinalibus gubernatur. Initium tanti operis studiis *Joan. Bapł. Viles, Hispani*, in Aula Romana commorantis debetur, qui omnes opes suas una cum domo quam pulcherrimam habebat, Pontifici ejus causa obtulit. Greg. XV illam amplissimis redditibus et privilegiis instruxit, cui postea Urbanus VIII Seminarium addidit. Præterea Parisiis a Bernardo a Sta Theresia an. 1665 Seminarium missionum exterarum sicut fundatum, præter Lazaristarum Congregationem, jam a pluribus annis laborantem, et denique in sola Europa octoginta fere Seminaria hoc fine instituta numerantur.

Igitur horum opera, maxima incrementa fides habuit. Et in primis missiones in Sinis impense fovit, quas Joannes Cabosius, Hispanus, sæculo præcedenti inchoavit, qui primus sua lingua loqui cum Sinensibus potuit. Mathæus vero Ricci S. J. cum duobus sociis in Sinas venit ab an. 1582, ubi modestia et eruditione, linguæ et morum peritia, ac scientiis mathematicis, quas Sinenses præ cæteris pluris faciunt, eos sibi conciliavit: multique ex illustrioribus fidem suscepserunt. Paucis post annis virtutis et eruditionis fama ad imperatorem *Van-Ly* aditum invenit, quem, oblatis ei imaginibus Christi et Mariæ (quas Imperator in loco insigni collovari jussit) et horologio, sibi conciliavit, ex quo tempore multo plures ex omnibus ordinibus ad christianismum conuersi fuere. Tunc novi missionarii Jesuitæ et Dominicanæ ve-

nerunt, quorum laboribus, progressu temporis, non obstante mandarinorum et bonzorum invidia, ita religio aucta est, ut sub dimidio saeculi XVII ipsa mater Imp. *Yung-Lye*, pri-maria ejus uxor, unus e filiis ejus, et 50 feminæ aulicæ ap-tismum susceperint. Anno 1645 post Sinam a Tartaris occu-patam Imp. *Xum-tschi* christianis plurimum favit, Ad. Schall S. J. præfectum tribunalis matheseos constituit, et in Pekin aliisque urbibus ecclesias ædificare permisit.

Verum inter diversorum Ordinum missionarios, occasio-ne quorumdam rituum Sinensium, altercationes oriri cæpe-runt, de quibus postea loquemur, unde factum est, ut Si-nenses suis ritibus addictissimi a suscipienda nostra religio-ne abstinerent. Itaque post mortem Imperatoris an. 1661 tutores ejus filii *Cang-hi* persecutionem moverunt in Reli-gionem christianam, velut erroneam, noxiā, et patriis le-gibus ac moribus contrariam, et P. Schall cæterosque mis-sionarios relegarunt. Cum vero *Cang-hi* ad majorem ætatem pervenisset, ei Jesuitæ libellum supplicem pro christianis obtulerunt, qui ad supremum rituum tribunal pro more de-latus est. Hujus judices responderunt christianismum in im-perio tolerari non posse, verum imperii comitia, hac declara-tione non obstante, ejus professionem permittere decre-verunt. Imperator ipse ad patris sui exemplum Jesuitas mag-ni fecit, et Ferdinando Verbiest, in locum Schall mortui, præsidium collegii mathematici commisit, talemque tole-rantiam ostendit, ut vel unus princeps illius consanguineus, et quidam e supremis belliducibus, aliquie multi Christo nomen dederint. Paulo post quidam regulus in provincia *Che-kiang* persecutionem excitavit, et religionem prohi-buit, sed supplicantibus Jesuitis, imperator, et rituum co-llegium hanc prohibitionem revocarunt, mandaruntque, ut

in omnibus provinciis templa christianorum, quum nihil omnino mali isti facerent, conservarentur. Præterea omnibus præfectis mandatum est, ut huic decreto morem gerrent, illud cæteris mandarinis patefacerent, et si quid a quocquam secus fieret ad aulam referrent. Ex quo tempore religio christiana late diffusa fuit, novis missionariis ex Europa venientibus, atque etiam ex ipsis Sinensibus aliquibus sacerdotibus ordinatis, inter quos Episcopus Basileæ celebris est. Cum quæstiones de ritibus Sinensibus postea ferrent, persecutio est excitata, et imperator ipse missionarios ejecit: ejus autem filius et successor *Yong-tching* an. 1722 penitus religionem proscrispsit. Postquam autem Benedictus XIV horum rituum usum damnavit, taliter persecutio crevit, ut numquam postea extincta sit.

In Tonkino regno etiam missionarii Jesuitæ, duce Alessandro de Rhodes hoc sæculo prædicarunt, (1620) qui genti barbaræ, effrenatisque moribus viventi persuasserunt, eos qui Christum ignorarent, perpetuo esse perituros. Qui tam prosperum laborum suorum succesum habuerunt, ut duodecim post annis plusquam 80,000 christianorum ibi numerarentur. Anno 1664 persecutio contra illos mota est, atque missionarii comprehensi Macaum transducti sunt; tuncque Tongkinensibus christiana religio sub gravibus pœnis interdicta est. Franciscus Heliopolitanus Episcopus eos epistola solatus est, monens ne se tormentis vinci paterentur, posteaque nihil veritus illuc ipse contendit. Quem deinceps, periculis spretis, alii plures sequuti sunt, quorum opera postremis hujus sæculi annis major regni pars Christo addicta fuit, etsi persecutio maxime furerent, multique martyrio fungerentur. Similiter in Cochinchinam, Bengalam, Siamense imperium, insulas Javam, Molucas, et alibi intro-

ducta est christiana religio, ita ut an 1656 in solo regno Madurano 150.000 fideles essent. In quod regnum speciosa quadam industria Robertus de Nobili, S. J ab an. 1606 fidem detulit, quam antea modico fructu quidam nuntiarunt. Etenim servant inviolabiliter Indi disserimen inter diversas hominum classes, cumque missionarii *Pareas* ad fidem admitterent, factum est, ut classes superiores ipsos et res christianas despicerent. Robertus vero Braminorum veste indutus, illorum opinionibus sese accommodans, omnem cum Pareis conversationem fugiens, et indicos ritus observans, et quasi braminus extraneus prodiens, brevi illorum gratiam sibi conciliavit et plus quam septuaginta ex eis ad Christum convertit. De ipsorum ritibus quæstio orta est, de qua postea dicemus. In insulis Philippinis ab Hispanis ab an. 1564 occupatis religio catholica dominabatur, qui etiam in Marianis, dimidio hoc sæculo, missiones cum magno fructu soverunt.

De missionibus Americæ aliqua præcedenti sæculo diximus. Sed post illas etiam aliæ plures hac ætate fuerunt felici quidem eventu perfectæ, ex quibus præcipue Paraquariensis celebritate præstat. Nihil etenim in historia legitur, ait Postel, quod hujus operis christiani decorem superet. Jesuitæ, qui in Peruvia et Brasilia feliciter laborabant, in Parauariam venerunt, et post ingentes conatus illas inmansuetas gentes ad Christum converterunt, deindeque illarum mores mites reddere curarunt, atque insuper illis civilisationis beneficia nota facere, imo præstare; quod taliter assequuti sunt, ut vere auream ætatem in illis populis suscitasse viderentur. Conversi quidem in pagos distributi sunt, quos *Reductiones* vocabant, ubi summa pax, religio, integritas, virtusque regnabant. Hos novos christianos Jesuitæ non solum in sacris sed etiam in civilibus diri-

gebant; eos ad colendas terras, ad exercenda opificia et artes, quibus idonei erant, instituebant, rationem etiam gerentes fructum, quos Paraquarienses e sua industria et mercaturis percipiebant. Cum autem prava exempla Europeorum plurimos perverterent, impetrarunt Jesuitæ a Philippo III Hispaniarum rege, ut nulli advenæ aditus ad provinciam concederetur. Inde factum est, ut Paraquariensis missio non solum lætissime floruerit, sed etiam a vitiis omnino carnerit; summa inter eos vigebat concordia, pluresque ad sanctitatis apicem pervenerunt.

Verum Jesuitarum hostes suis calumniis apud Regem Hispaniæ effecerunt, ut iste missionarios omnes e Paraquaria egredi jussérunt, sub dimidio sæculi XVIII, ex quo tempore plurimum in illa regione religio decrevit, atque ita impiorum hominum conatus fructum plurimorum annorum brevi destruxerunt. Etenim Indiani a gubernatoribus oppressi in rebellionem proruperunt, cuius seditionis culpam in Jesuitas rejiciendam esse, eorum inimici accussarunt. Qui præterea addiderunt illos non tam salutem animarum quam augmentum opum quæsivisse, et quotannis ex missionibus quinque millions eruisse, omnia sibi appropriando, nihilque aliud nisi miseram sustentationem indigenis relinquendo, ac demum eos regnum ab Hispanis independens machinatos fuisse. Sed Muratorius (1) in libro de hac missione scripto, omnia contra Jesuitas objecta plene rejectit, atque illa non nisi mendacia et calumnias esse demonstravit: quod etiam alii plures, etiam increduli, veritatis lumine perciti, fassunt. Quare non est cur de hoc longam disputationem instituere debeamus.

(1) *Il cristianesimo felice nelle missioni del Paraguay.* Venetiis 1745.

Nulla sane fuit in hoc sæculo terræ pars, in quam missionarii, quibuscumque spretis periculis ac laboribus, non se conferrent. Et quidem præter memoratas regiones, in Americam septentrionalem, Floridam et Canadam penetrarunt, veramque fidem in easdem intulerunt. In Africa quoque Evangelium nuntiarunt, ubi in Congo et Angola ecclesias condiderunt, deinde in promontorio Viridi, Senegal, littore Zanguebar, insulisque finitimi nonaginta fere millia hominum ad Christum converterunt. Denique, ut uno verbo cum Psalmista dicatur, *in omnem terram exivit sonus eorum et in fines orbis terræ verba eorum.* De quo postea iterum agemus.

Interim quæ hucusque diximus luculenter ostendunt, Ecclesiam catholicam a Deo ipso missionem accepisse ad prædicandum Evangelium omni creaturæ, cuius proinde labores fructu omnigeno et divina benedictione donati sunt.

Non solum nullum regnum vel provincia, sed nec regio nec civitas nec vicus est in tototerrarum orbe, qui ad Christi fidem aliter venerit quam per Ecclesiæ catholicæ operarios. Etenim ipsi soli dictum est, *Euntes docete omnes gentes,* minime vero Protestantismo, aut cuilibet sectæ ab unitatis capite separatae, quibus nec vera fides esse potest. Atque hinc quovis sæculo factum est, ut, dum Protestanticæ missiones, subsidiis externis quamplurimis pollentes, misera sterilitate laboravere, catholici missionarii absque ullo præsidio, immo inter ingentia et continua pericula felicissimum exitum habuerint. Proinde ipsæ, ait Perrone, cum videant irritos ac inanes esse suos omnes conatus et infelicem exitum suarum missionum, invidia quodammodo tabescunt, et illud criminis vertunt Ecclesiæ catholicæ, quod ipsæ attin gere licet maxime velint, omnino non possunt.

N. A. Perrone

Nullam sane aliam causam agnoscunt innumeræ accusations et calumniæ adversus missiones prolatæ. Et illud imprimis de quo Mosheimius missionarios carpit, illos scilicet mollem vivendi rationem habuisse, voluisseque tantum mercaturis ditescere, atque non tam propagandis christianis sacris, quam temporalibus disciplinis, operam dedisse, plane absonum est. Cui protestantes ipsi Milne, Malcolm, Paver respondere possunt, qui missionarios catholicos amplissimis laudibus extollunt, velut *homines sanctos, sacrificii plenos, qui a nemine superari possent, «vitæ integritate martyrioque conspicuos» «vocatione supernaturali procul dubio excitatos» «charitate insignes, pietate claros, omniisque genere virtutum ornatos.* Qui præterea mortem, supplicia, labores, pericula, et generatim talia subire debuerunt, ut nullatenus pro quacumque re temporali tolerari possent. Constat etiam missionarios nullum aliud præmium laborum suorum accepisse, nisi quod in cœlis dat Deus iis, qui Christum coram hominibus absque timore constentur.

Accusatio vero de studio Rom Pontificum suam temporalem potestatem missionibus amplificandi, aperte ridicula est. Nullas enim alias copias, aut arma missionarii deferebant nisi Christi Crucifixi imaginem, nihilque aliud prædicabant nisi Christum, et hunc crucifixum. Quod si aliquando bellis aut seditionibus fuerunt implicati, hoc minime ipsis criminis vertendum est, sed rapacitati crudelitati, aut vitiis aliorum Europæorum, qui hac prava agendi ratione, indigenarum odium in se concitabant. Atque hoc quidem in majorem missionum laudem vertitur, quæ, non obstante illorum populorum ab Europæis aversione, uberrimos fructus consequutæ sunt. Quod vero additur de rebellionibus a missionariis promotis nec specie tenuis verisimile est, cum

e contrario constet, populos post suam conversionem, pacificos omnino mores in posterum coluisse.

Denique aliquid dicendum est de ritibus Sinensibus et Malabaricis, quorum causa missionarii præsertim Jesuitæ accussantur, pessime religionem christianam interpretatos fuisse, et suis contentionibus veræ fidei progressus cohibusse. Sed hæc controversia non facile negotium afferebat, siquidem ad ejus solutionem plurimis annis a viris omni eruditione præclaris laboratum est; ac proinde mirum non est, quod missionarii ab initio in diversas sententias abierint. Quare vestigiis insistentes H. Guil. Wouters, sicut interdum facimus, illam controversiam historica ratione exponemus, quæ in missionibus celebris est, ex cuius narratione apparebit, quodnam fundamentum habeat hæc, quam Moshemius *maximam accusationem* appellat.

Si a controversia hac removeantur, quæ ad Jesuitas potius ipsos, quam ad rem de qua agitur, pertinent, binis quæstionibus tota continetur, scilicet qua voce Sinensium idiomate verus Christianorum Deus sit exprimentis, et num cultus Confucio et majoribus defunctis deferri solitus permitti possit. Etenim Sinenses in propriis ædibus tabulas in honorem majorum defunctorum appendebant cum hac inscriptione, *Thronus animæ sanctissimi N.* Coram his quamdam oblationem, *Ci dictam*, apponebant e fructibus, floribus, et vino, pluries prosternebantur, atque sciphem sanguine et vino plenum in terra fundebant. Litterati eosdem honores Confucio præstabant. Ne Sinenses a christiana religione suscipienda alienarentur, his ritibus prohibitis, visum est Jesuitis illos tolerare, tamquam mere politicos etciviles, sed J. B. de Morales dominicanus Hisp. aliquie missionarii illos ab. an. 1630 religiosos, ac proinde permitti non posse, ju-

dicarunt. Præterea Sinenses ad designandum Deum voces *Tien* et *Chang-ti* (id est, cœlum) adhibebant, quas Jesuitæ tolerabant, tamquam Dominum significantes, alii vero reprobabant, quasi ipsum cœlum materiale significarent.

Morales in Europam reversus Sac. Congregationi de *Propaganda fide* libellum contra hos ritus obtulit, tamquam superstitiones et idololatricos, qui proinde ab Innocentio X an. 1643 interdicti fuere. Cum hæc damnatio in Sinis ab ipso Morales reduce vulgata fuisse, Jesuitæ existimantes hos ritus longe aliter quam revera essent; Pontifici fuisse expositos, Romam legatum misserunt eum libello, in quo e classicis Sinensium libris et missionariorum testimoniosis expositionem a Morales factam invicte confutabant. Quare post multas disceptationes Alexander VII declaravit ritus illos permitti posse, civiles nempe, sed vitandos superstitiones. Verum an. 1693 iterum controversia acriter recruduit, cum Carolus Maigrot Vicarius Apostolicus contra hos ritus mandatum dedit, quod mandatum Romam cum litteris ad Pontificem missit. Sed Jesuitæ etiam libellum supplicem obtulerunt, in quo conteabantur numquam se novellis christianis permississe ritus cum circumstantiis a Maigrot expositis. Misserunt etiam testimonium ab ipso Imperatore et a millibus Sinensium confirmatum, quo constabat hos ritus «*mere civiles esse, quibus pax publica imperii faciliter,*» Confucio cultum exhiberi non ad petenda bona, sed dumtaxat propter præclaræ merita, cœremonias erga majores fieri ad significantem amorem et filiale observantiam, non vero ad postulandum aliquod auxilium, quod etiam de tabulis dicendum; denique Deum tum *Tien* (cœlum) tum *Chang-ti* (cœl dominum) vocari; non secus ac Imperator summus dominus et *imperialis aula* vocatur. Præterea quatuor Episcopi consi-

derantes in quantum discrimen Religio christiana in Sinis vocaretur, his ritibus proscriptis, legatos etiam Romam misserunt, idem scripto declarantes.

Itaque hujus controversiae exitum avide Europa universa expectabat. Jesuitarum hostes hanc occasionem eos deprimenti arripuerunt, præcipue Jansenistæ, qui id maxime efficere conabantur, ut irritato Alexandri VII de ritibus Sennensibus decreto, alterum etiam de Jansenii doctrina antiquaretur. Clemens XI an. 1701 T. de Tournonio Visitatorem apostolicum pro illis regionibus nominavit, qui in Malabarria aliquo tempore moratus est; et interim post multas deliberationes S. Inquisitionis officium secundum mandatum Mairgrot, hanc sententiam definitivam dedit: videlicet voces *Tien* et *Chang-ti* ad verum Deum designandum non esse adhibendas, sed vocem *Tien-chu* (cœli dominum); tabulas *King-Tien* (cœlum colito) in sepulchris non esse appendendas, neque licere christianis solemnibus oblationibus interesse, quibus in equinoctio Confucius et defuncti honorabantur, posse tamen erga defunctorum peragere ea, quæ superstitiosa non essent, de judicio Episcopi. Imperator *Cang-hi* Tournonium legatum honorifice exceptit, at ubi eum legibus imperii contrarium novit, eumdem abjecit, atque etiam omnes imperio exire jussit, qui patriis ritibus adversarentur. Paulo post Tournonius sub pena excommunicacionis late sententiæ, Sedi apostolicæ reservatae, omnibus præcepit, ut de prædictis ceremoniis interrogati, responderent eas non esse licitas, utpote Pontificio decreto prohibitas; quare multi missionarii secundum prædictam ab Imperatore legem imperio exire debuerunt. Episcopi vero et Vicarii a Legati decreto Romam appellarunt, sed Clemens XI Tournonii decretum confirmavit.

Cum varli et contradictorii rumores de hoc Clementis XI decreto in Sinis vulgarentur, Pontifex an. 1715 constitutionem edidit *Ex illa die*, qua omnibus cujuscumque classis et conditionis præcepit, ut responsa data an. 1704 servarent, atque insuper juramenti formulam omnibus missionariis præscripsit, sub pœnis gravissimis, qua hanc constitutionem ejusque præscripta exacte observaturos promitterent. Itaque persequutio in Sinis adversus christianos multum crevit. Pervenit autem Pekinum an. 1721 Ambrosius *Mezzabarba*, Patriarcha Alex. et Vicarius Apostolicus designatus, cui Pontifex legationem apud Imperatorem commisit, ut Bullæ promulgationi consentiret. Negavit Imperator dicens optimum fore ad lites has finiendas, si prohiberentur missionarii in Sinis prædicare. Igitur redditum *Mezzabarba* paravit, sed interim litteram pastoralem dedit, quæ varias restrictiones bullæ *Ex illa die* continebat, et quasdam cæremonias, de quibus disputabatur, christianis Sinensibus permittebat. Tunc christianorum protector, *Chang-hi* mortuus est, cui ejus filius *Yong-tching* successit, qui vix imperium obtinuit leges patris sui christianis favorabiles revocavit, et gubernatoriis præceptum dedit Ecclesias diruendi, quare christiani multifariam vexati sunt. In hoc rerum statu plures missionarii concessionibus *Mezzabarbae* usi sunt, alii vero illas improbarunt, utpote Constitutioni Clementis XI contrarias; et contentiones auctæ sunt. De his certior factus Clemens Pp. XII an. 1735 sibi reservavit facultatem Sinensibus declarandi Sedis apostolicæ mentem, et tandem an. 1742 Benedictus XIV, data bulla *Ex quo singulari*, post expositam totius controversiæ originem et progressionem, tum ritus Sinenses, tum mitigationes a *Mezzabarba* concessas reprobavit, et ad excludendas tergiversationes et subterfugia om-

nibus missionariis præscripsit jurisjurandi formulam, de hac sua constitutione intégre et inviolabiliter observanda. Sic tandem post hanc Pontificiam declarationem lis terminavit. (1)

Quod de ritibus Sinensibus dictum est, fere simili ratione de Malabaricis evenit. Haud pauci Malabarorum in Christum crediderunt, sed magna pars eorum ritus quosdam superstitiones retinuerunt, unde magnæ ortæ sunt contentiones. Scilicet, in administratione Baptismi a saliva et insufflatione abhorrebant, nec illud infantibus ministrabant, morem habebant, ut pueri septem annorum matrimonia contraherent; nuptias variis superstitionibus celebrabant, ramis, cibis, vasis ad auspicia capienda; mulieresque nuptæ in signum matrimonii deferebant tesseram auream seu *Taly* ex funiculo 108 filorum pendentem, quæ præ se ferebat imaginem *Pyllajaris* idoli nuptiis præpositi. Demum *Pareas* ita despiciebant, ut nec spiritualia auxilia eis in domibus præstari vellent; aliaque ejusmodi

Hos vero ritus in edicto Pudicherii lato supra memoratus Tournonius in primis damnavit, totam que rem Pontifici expossuit, qui decretum ejus confirmavit, *donec aliter a Sede Apostolica prorisum fuerit*. Hæc vero clausula causa fuit falsi rumoris qui per Indiam percrebuit, Clementem scilicet Tournonii decretum revocasse, et nonnullas cærimonias approbasse, quas ille proscriptis, cui rumori cursum intercepturus Pontifex authenticum exemplum decreti sui cum litteris brevibus ad episcopos illos missit, ut nullo modo

(1) Wonters, tom. II, epoch. XII n. 47 et 56.—Gmeineri Xaverii, *Hist. Eccl.*, epoch. IV memb. I cap. 1.—Qui plura cupit legat Nat. Alex. supp. tom. II disser. IV cum appendice monumentorum hanc controversiam respicientium;

Pontificis mens de Tournonii decreto in dubium vocari posset. Cum autem plures reclamarent novum judicium postulantes, Clemens XI rem totam a capite repetendam putavit, et Prospero Lambertini commissit, ut controversiam examinaret, sed paulo post Papa mortuus est. Innocentius XIII ejus successor etiam antequam res esset perfecta obiit, sed Benedictus XIII sinem controversiae constituit, litteris datis, quibus Tournonii decretum confirmavit et observandum præcepit. Sed hoc mortuo rituum defensores ad Clementem XII confugerunt, nihil sibi legitime de litteris Benedicti nuntiatum dicentes. Itaque orabant, ut congregatio S. Officii mandaret, ut in causam inquireret, statueretque quid factu esset opportunum. Annuit Pontifex, ac congregatio maiorem partem decreti Tournonii servandam, nonnulla vero explicanda censuit, cuius sententia a Pontifice confirmata fuit, an. 1734. Cum vero postea audivisset Clemens, quod quidam contra facere præsumerent, rursus an. 1739 ad episcopos et missionarios litteras misit, utque jurejurando omnes se obtemperaturos pollicerentur sub gravibus pœnis præcepit; et reipsa omnes huic decreto obtemperarunt. Deum Prosp. Lambertinus, mortuo Clemente, Pontifex sub nomine Benedicti XIV renuntialis, quasdam dubitationes resolvit, atque rem totam terminavit.

Hæ controversiæ, ut patet, maturo examine dirimi debuerunt, ne forte, ritibus damnatis, si mere civiles erant, missionum fructus impediretur, vel contra, si religiosi judieabantur, illis toleratis, evangelii puritatem idolatriæ superstitiones fædarent. Injuria proinde missionarii accusantur, pessime religionem christianam interpretatos fuisse, cum etiam inter ipsos Apostolos ab initio, occasione legalium, disceptationes ortæ fuerint.

CAPUT XIV.

De Romanis Pontificibus sive. XVII.

Superius significavimus Ecclesiæ suæ Dominum, in hoc sæculo, egregios undequaque Pontifices præposuisse, qui illam sapientissime gubernarunt; nunc vero illam assertiōnem comprobandi occasio est. Atque simul eorum nomina ab illis nævis defendemus, quibus Moshemius aliique plures ea obscurare conati sunt: etenim hujus sæculi Pontifices maxima virtutis laude præstare, perspicua res est. Quamobrem instituti nostri rationem non impleremus, nisi de eis aliqua notitia traderetur, sed tamen brevitati consulentes, quamvis de aliquibus peculiaris deberet tractatio suscipi, ea tantum perstringemus, quæ nostro scopo sufficientia sunt.

Itaque mortuo Clementi VIII Alex. Octav. Medicis successit, qui *Leo XI* voluit appellari, sed tantum viginti sex diebus sedit, magno bonorum dolore, qui ab ejus virtutibus plurimum sperabant. Cujus elogium Baronius his verbis absolvit: *In triplici certamine triplici victoria gloriosus, eluso mundo, confuso Satana, sibi dominans, migrarit in cælum.* Post hunc, magna Cardinalium tranquillitate, electus fuit die 16 Maji an. 1605 Camillus Borghesius, Cardin. qui *Pauli V* nomen assumpsit. Quem Cardin. Perronius *virum purum, irreprehensibilem, insignis exempli, libertatis et auctoritatis apostolicæ custodem, et rerum usu tanto dignitati congruente præditum,* appellat. Spondanus vero *magnum rerum usum, divini honoris et ecclesiastice libertatis zelum, placidam in om-*

nes beneficentiam, moresque incorruptissimos, in eo agnoscit.
Pariter Biographia Ecclesiastica Paulum V *magnificum Pontificem, magnificum Mæcenatem* sæpius dicit, ac demun *comes de Beaufort gloriam Ecclesiæ catholice illum* vocat.

Plura quidem pro religione amplificanda fecit hic Pontifex, novos missionarios ad Congos, Persas, Indos et alios populos mittens, postquam harum nationum legatos honorificentissime exceptit; nullusque alias majorem numerum Congregationum et Ordinum religiosorum approbavit. Fideles in Britania vexatos, juramenti causa a Jacobo rege præscripti, Pontifex solatus est, et hæresis progressum ubique cohibuit. Controversijs *de auxiliis* finem constituit, atque saerarum litterarum studia maxime promovit. Plura etiam Paulus V ad ornatum Urbis, ad rectam politici status ecclesiastici regiminis institutionem, ad concilianda populo cui imperabat commoda sapientissime peregit. Vaticanam bibliothecam locupletavit et picturis exornavit, Vaticanum palatium multis in locis instauravit, porticu et hortis adjunctis, viasque aperuit et dilatavit, et aquæductus extruxit, simulque accurate providit, ne annonæ copia in urbe deesset. Extra Romam vero propugnacula munivit, portus aperuit et purgavit, atque omni ratione subditorum bonum intendit. Sic omnium estimationem et amorem sibi conciliavit, atque post feliciter gestum Pontificatum annis quindecim morbo correptus an. 1621 obiit.

Verum si Moshemio fides habenda esset, aliam omnino diversam sententiam de Paulo V amplecti deberemus, quasi scilicet vehementis animi viro, superbo et majestatis suæ impotentissimo sëpe vindici. Hæc vero Moshemius crimatur, ut Pauli V agendi rationem in dissidio cum republica Venetorum reprehendat: quamobrem ad illum refellendum

hujus dissidii certam notitiam afferre opportunum est. Senatus videlicet reipublicæ duo decreta ediderat, quibus prohibebatur novas ecclesias extruere, aut bona immobilia clero vendi vel donari. Praeterea duos clericos criminum reos, nulla habita eorum status ratione, in vincula conjici jusserrat. Igitur Paulus V de his decretis et actis quasi ecclesiasticæ libertati et immunitati contrariis conquestus est, utque illa revocarentur et clerici sacerdotum judicio redderentur postulavit. Quum vero Senatus per Legatum suum decreta illa defendereret, Pontifex monitorias litteras ad rempublicam dedit, quibus decreta illa irrita declaravit, et sub excommunicationis pœna revocari jussit. Senatus in sententia sua perstitit, quare Paulus consistorium Cardinalium convocavit, qui omnes uno Venetiano excepto unanimiter convenierunt, in rempublicam censuris procedendum esse. Tunc Pontifex an. 1606 post iteratam admonitionem sententiam contra Venetos scriptam fulminavit, qua Dux et Senatus cum suis asseclis excommunicabantur, et si porro resisterent tota respublica interdicto subjiciebatur. Senatus minime flexus omnibus sui territorii Episcopis decretum edidit, quo excommunicationem immeritam declaravit, et sub capitulis pœna vetuit, ne quis clericorum interdictum observaret; qua de causa Ecclesiastici viri multa pertulerunt, inter quos Jesuitæ, Theatini et Capuccini e ditione Venetiana discesserunt. Protestantes vero has dissensiones fovebant, futurum sperantes ut, in apertum schisma respublica Venetorum prorumperet. Igitur Pontifex arma parabat, ab Hispanis etiam adjutus, sed Henricus IV Galliæ rex inter ipsum et Senatum intercessit. Senatus itaque omnia sua decreta revocavit, excepto illo de Jesuitarum expulsione, et Paulus censuras absque effectu reliquit, siveque hæc difficillima lis composita est.

Paulus V autem licet animo magnus et flecti nescius, suæ tamen prudentiæ, ad schismā et bellum vitandum, obsequi maluit, etsi canones a Venetis violatos maxime doleret, contra regulas et praxim in omnibus catholicis nationibus tunc temporis servatas. Ex quibus patet quid Moshemio respondere debeamus.

Gregorius XV, Alexand. Ludovisius vocatus, Pauli successor, an. 1621 Pontificatum exorsus est a Jubilæo universalis, quod ad divinum auxilium pro salutari Ecclesiæ catholicæ regimine implorandum indixit. Si quis, inquit Gravesson, multitudinem, magnitudinemque rerum a Gregorio XV gestarum consideret, eas a Pontifice non per spatium duorum annorum cum dimidio, quibus ipse sedet, sed vix per totidem lustra peragi potuisse sibi persuadeat. Nescias vero, addit Natalis continuator, an in his, aggrediendo promptior, an prosequendo constantior, an in perficiendo felicior fuerit. Sub initio Pontificatus diploma dedit jam a multis optatum de electione Romani Pontificis per secretas suffragia, atque insuper Congregationem *de Propaganda fide* instituit, de qua superius diximus, quod quidem opus ad hunc Pontificatum ornandum per se sufficit: et reformationem religiosorum Ordinum in Gallia perfecit.

Gravissimas etiam inter Principes obortas contentiones Gregorius XV sapientissime composuit, inter quæ Vallis-Tellina celebris est. In hac valle in Italiae et Germaniae confinibus sita Calvinistæ dominabant et catholicos in eo degentes opprimebant, quare isti facta conspiratione an. 1621 omnes Calvinistas occiderunt, atque favore et auxilio Ducis *Feriæ* Gubernatoris Mediolanensis universam vallem occuparunt, eamque dominio regis Hispaniae vindicarunt. Id ægre tulit Lud. XIII Galliæ rex, ægerrime vero Veneti et Sa-

baudiae Dux, quorum mens erat atque consilium ut ea vallis libera permaneret. Ludovicus ergo Legationem ad Philipum III Hispaniae regem misit, ut Vallem Tellinam restitueret Rhætis seu Grissonibus, ejus legitimis possessoribus. Promisit Rex Hispaniae, sed tamen eam sibi conservare pro viribus adnitebatur, cumque jam controversia in acre bellum erumpere immineret, intercedente Greg. XV ad religionem catholicam in hac valle conservandam, memorati principes ita res composuerunt, ut illius vallis arces et propugnacula Summo Pontifici in depositum traderentur, donee jus omne principum plane discussum ac aliquatum esset. Quo Pontifex impendens bellum avertit, et magno malo impediendo opportune consuluit.

Præterea Galliae et Hispaniae Reges excitavit, ut alter hæreticorum reliquias prorsus everteret, alter ut Batavos de nù bello aggrediceretur, quod utrumque magno regum ipsorum bono contigit. Ferdinandum Imp. II contra rebelles in Germania juvit, auctorque fuit ut catholicorum Principum fædus stabiliretur, atque Maximiliano Bavariae duci septemviratum Augustalem conferendum enixe curavit. A quo proinde dono accepit Bibliothecam Palatinam, pluribus libris et manuscriptis locupletissimam, e monasteriis post reformationem surreptis, que a Leone Allatio Romam deducta Vaticana addita fuit. Segismundo regi Poloniae adversus Turcas pecunia et milite præsto fuit, et in ipsa Britania multa tentavit, ut eam nationem ad pristinam veræ religionis normam revocaret. Nec tamen his curis ab Urbana administratione quidquam remisit, ut tunc maxime patuit cum Romanum summa caritate annonæ, morborumque gravitate laborantem, magna frumenti copia aliunde comportati recreavit, quod viliori quam emptum fuerat prelio distribui jussit. Alia etiam

plura egregia perfecit, quibus gloriosum Pontificatum consummavit, an. 1623.

Post hujus obitum *Urbanus VIII* Ecclesiam rexit, antea Maphæus Barberinus appellatus. In hoc Pontifice vel ipse Moshemius optimas dotes agnoscit, et tantum nimiam cum protestantibus intolerantiam ei objicit. Et quidem, inquit Graveson, ex triplici potissimum capite *Urbanus VIII* jure optimo laudari debet. Primo ex pietate, per quam summus ille Pontifex omnibus prodesse voluit; secundo ex eruditio-
ne singulari qua exornatus, præclaram universæ Ecclesiæ navavit operam; postremo ex laboribus et continua occupationibus, in quibus eluxit tum ejus pietas, tum doctrina, tum in procurandis subditorum commodis jugis et indefessa solicitude. Duo præcipue negotia feliciter perfecta hujus Pontificatum commendant; vaserrimæ jansenianæ hæresis damnatio, ut superius dictum est, et etiam quod prudenti intercessione sedaverit imminens bellum inter Hispaniam, Galliam et Austriam, quod totius catholici orbis commotionem minitabatur. Nam mortuo Gregorio XV Galli de *Valle-Tellina* iterum disceptarunt, atque immisso exercitu, Pontificios milites ab ea ejecerunt, Hispani vero et Austriaci montium angustias occuparunt, jamjamque in manus deventuri erant, cum Pontifex ut ad pacem componendam incumberet Franciscum Barberinum, Card. suum a latere Legatum declaravit; utque res ex voto succederent solemnes suppli-
cationes adhibendas censuit. Igitur an. 1627 Cardinalibus narravit negotium hujusmodi feliciter fuisse compositum, redditaque Torquato de Comitibus Ecclesiasticarum copiarum ductori propugnacula, quæ ille mox regum Galliæ et Hispaniæ ministris solo æquanda reliquit; et inter alia hæc protulit verba: *Demum quod nostris erat in votis, ex unanimi*

Regum voluntate pax est firmata; omnem movimus lapidem, ne quid detrimenti catholica religio pateretur: testes sunt ipsi Reges et ipse novit Deus, cuius honorem et gloriam præ oculis semper habuimus. Sub hoc Papa *Status Pontificii* maximam integritatem acceperunt, post ducatum Urbinum Sedi Apostolice restitutum. Hic Pontifex Cardinales titulo Eminentiae auxit. Varios dies festos abolevit, tum ut pauperum inopiae, tum ut populorum, per eos dies vitiis potius quam piis exercitiis vacantium, licentiae occurreret. Reliqua vero præclara quæ gessit, innumeræ pene inscriptiones, in ipsius honorem insculptæ, perspicue testantur.

Urbanum VIII plerique accusant, quod plus æquo de ornandis atque ditandis suis cognatis curasset. Sed vero, quamvis ædes amplissimas nepotibus suis extruxerit, reditusque cum purpura contulerit, in hoc tamen vel ab ipsis Rom. Pontificio ossoribus laudatus est, quod vita functo Francisco Duce Urbini, dominium illud non suis, sed ditioni Ecclesiastice addixerit, quod quidem commendatione dignum est. Qui post longum 21 annorum Pontificatum an. 1644 ex hac vita decessit.

Tunc *Innoeentius X*, antea Card. Jo. Bapt. Pamphilus ad Petri Cathedram ascendit. Is pietate, defendendæ et propagandæ religionis ardore, justitia, prudentia, liberalitate aliisque virtutibus claruit. A primis Pontificatus diebus secum animo reputans se esse Vicarium Dei, in Dei honorem cultumque totus incubuit. In Tureas catholici nominis hostes, in bello Cretico, quod per annos 25 perduravit, Venetis et equitibus Melitensibus triremes et pecunias subministravit. Pacem Wesphalicam, ut vidimus, quæ saera Ecclesiæ jura kedebat et religioni catholicæ perniciosa habebatur, Pontifex tamquam Sedi Apostolice injuriosam damnavit. Hisce ad-

denda sunt quæ ad catholicorum sustentandas vires in Hibernia contra hæreticos Anglos perfecit, ad quos Archiep. Firmanum legavit, ut illorum inopiam fauro et consiliis sublevaret. Præterea Jansenianas turbas sedare cupiens quinque famosas Jansenii propositiones censuris notavit.

Magna etiam animi foritudine, justitiae et rectitudinis amore Innocentius X præstavit. Quod maxime enituit cum audita nece iniquissima Episcopi Castrensis, a marchione Gaufrido ordinata, cives anathemate percussit, et conscripto citissime exercitu, arctissima obsidione Castrum cinxit, expugnavit, soloque æquari a fundamentis jussit. Nec non etiam in Barberinos, Cardinales Urbani VIII nepotes, qui favore ei præstito in electione plurimum abutebantur, acriter animadvertit. Qui in Galliam fugerunt, procesum adversus eos institutum timentes, et tunc eorum munera et dignitates Pontifex aliis contulit, et bona ab eis male parta occupavit. Quæ quidem bona ad onerosum tributum super frumenti molitione sublevandum, ab iisdem pontificatu præcedenti impositum, destinata sunt. Præterea adversus eosdem Bullam promulgavit de Cardinalium residentia sub gravibus penis, sed tamen postea illos in suam gratiam recepit. Hæc vero Inn. X agendi ratio Romanis multum probata fuit, qui probe illos homines cognoscebant. Atque hoc, quidquid hostes clament, hujus Pontificis virtutem commendat, qui in causis habendis, nulla habita divitum aut principum virorum ratione, integerrimo cursu voluit ut justitia procederet. Omnes autem sciunt, quænam Moshemio, cum de Romanis Pontificibus loquitur, fides habenda sit, ac proinde ab ipso Innocentium X atris coloribus fuisse depictum, mirum non est. Cæterum vel ipsi protestantes scriptores cum

Rankio fatentur, hunc Pontificem non mediocribus dotibus fuisse præditum. Mitto dicere quæ ipse Romæ reliquit suæ beneficentiæ magnificantiæque documenta, necnon Jubilæum decimum tertium ab ipso celebratum, aliaque plura, donec an. 1655 mortuus est.

Eius successor *Alexander VII* usque ad an. 1667 Ecclesiam rexit, Fabius Chisius antea dictus. Cujus elogium, dotes, optimosque mores Natal. Alex. continuator fuse narrat. Maximam tantæ dignitatis recte administrandæ spen ab initio omnibus fecit summus hic Pontifex, qui adhuc Cardinalis, propter res præclare gestas principibus et populis gratissimus erat. Sub ejus Pontificatu maxime notatu digna Christinae Sueciæ reginæ ad catholicismum conversio, ejurata lutherana hæresi, locum habuit, quæ Romam veniens a Pontifice honorificentissime excepta est. Proscriptis Alexander VII effugia et cavillationes jansenistarum contra Decessorum suorum constitutiones, atque nonnullas propositiones mollioris ethices, et quorundam casuistarum opiniones damnavit. Nihil omisit quod ad officii sui munus pertinere arbitrabatur; principes christianos ad ineundum fœdus hortatus est, ut Turcas coniunctis viribus coercerent, ad quorum impetus repellendos Venetis et Hungarisch auxilium dedit. Auxilia quoque destinavit regi Poloniæ, Successorum armis pene oppresso; et Carolo Emmanueli Sabaudiae duci, ad reprimendos in Alpinis vallibus Waldensium cōnatus.

Exorta vero est an. 1662 inter Alexandrum VII et Ludov. XIV Galliæ regem gravissima contentio quæ Pontifici magnas molestias attulit. Rex Ambasciatorem suum apud Pontificem destinavit Ducem Crequium superbum hominem, eo sane fine, ut eum deterreret, et molestiis afficeret: audive-

rat enim Ludovicus, de se suaque Regni administratione, Papam parum honorifice fuisse loquitum. Itaque Dux Crequi erga Pontificis cognatos se insolenter gerebat; militesque Galli et horum duces, qui cum Legato erant, pontificios milites natione Corsos, diversis modis vexabant et impetebant, tandemque an. 1662 unum ex-eis occiderunt. Corsi inde irati palatium Ducis Crequi obsederunt, Gallos adorti sunt, horumque plures in pugna vita privarunt, et fenestrarum Palatii perfractis, ipsum Crequi injuriis affecerunt. Legatus graviter irritatus Romam illico deseruit, et Regem jam iratum magis incendit, qui nuntium Pontificium per milites Gallia eduxit, et a Pontifice gravissimam satisfactionem postulavit. Interea Avenionera est comitatum Venesinum militari manu occupavit et adversus Romanam ipsam copias misit. Alexander VII qui potiori quam Ludovicus XIV jure satisfactionem exigere poterat, per triennium restitit inquis conditionibus a Rege positis, sed postea molestiis confractus et viribus destitutus, etsi magno dolore, inflexibili regis voluntati satisfacere coactus fuit. Quod tali mærore Pontificem affecit, ut ob id ejus dies fuisse breviores affirmari possit. Obiit an. 1667.

Ilo mortuo, communis Cardinalium consensione electus fuit Julius Rospiglosi, qui *Clemens IX* voluit appellari. Tot inter curas, quibus in suo Pontificatu Clemens IX implicitus fuit, in hanc unam præsertim incubuit, ut revocatis ad pacem Catholicorum principum animis, Turcarum potentiam omnino profligaret. Venetiis arma et pecunias dedit, et principes tandem addixit, ut periclitanti Candide suppetias ferrent. Verum etsi illi cum Pontifice nihil intentatum reliquerant ad prædictam insulam liberandam, nihilominus magno omnium mærore an 1669, a Turcis expugnata est.

Ubi autem Clemens audivit, insulam a Turcis captam, maximo angore oppressus fuit, et jam ægritudine decumbens, dolori succubuit, duobus mensibus elapsis.

Quid in causa Jansenistarum egerit jam diximus pace Ecclesiæ Gallicanæ redditæ. Apparet autem ex totius facti germana relatione Clementem IX a Decessorum suorum agendi ratione non recesisse, ac proinde perperam Jansenianos fuisse gloriatos, quasi nempe hic Pontifex distinctionem inter *jus* et *factum* approbasset. Etenim neminem latent Jansenitarum subterfugia et cavillationes quibus Pontificem decepterunt; existimavit autem Clemens IX illos Episcopos propositæ ab Alex. VII formulæ sincere subscripsisse, quamobrem gratulatorias litteras ad eosdem misit. Cujus rei testimonium, ut alia plura præterea, ex ipsis Clementis litteris habemus, quas ipse scripsit tum Episcopis qui de pace confiencia egerunt, tum iis qui cause Jansenistarum quasi signiferi fuerunt. In quorum primis hæc habet: *quod nobis prius ample significatum, ac deinde iteratis ac gravibus documentis confirmatum fuit, de perfecta atque integra obedientia nobis et Apostolice Sedi præstita per Episcopos Andegavensem, Bellovacensem, Apamensem, et Alethensem, subscriptio ne Formularii sincero animo, et juxta præscriptum Literarum Apostolicarum ab eis facta: utque charitatis Apostolicae fervore succensi potius in obedientes clementia, quam justitia in contumacæ uti gaudemus, voluimus iis paternæ benevolentie nostræ argumenta præbere &c.* In Epistola vero ad ipsos data gratulatur Pontifex, illos formulario sincere subscripsisse, et subscribi fecisse, *nam, inquit, Nos dictorum prædecessorum nostrorum Constitutionibus firmissime inherentes, nullam circa illud exceptionem aut restrictionem admissuri umquam fuisse nos. Quibus addi etiam possunt gratulatorię litteræ a Gæsa-*

re de Estrees, Episcopo Laudunensi, Pentificem datæ, tum de pacata Europa, tum de tranquillitate Ecclesiæ Gallicæ restituta, in quibus hæc habet: *Absolvis tandem magnum illud opus, Beatissime Pater; nova, neenon sincera subscriptione aliis Episcopis consentiunt Illmi. Alectensis, Apamiensis, Andegavensis et Bellovacensis, a quibus in subscribenda fidei formula aliquatenus recesserant.* Demum Clemens XI in Constitut. an. 1705 lata severe redarguit illos, qui *Clementis IX litteras in erroris sui patrocinium advocare temerario plane ausu non erubescunt, perinde ac si memoratus Clemens..... aliquam in tam gravi negotio exceptionem seu restrictionem admississet.* Ex quibus palet quam inepte triumphum cancerent Jansenii patroni, palam evulgantes, Clementem sola externa reverentia seu religioso silentio esse contentum, cum constet nihil aliud, hunc Pontificem fecisse, nisi quo a suis prædecessoribus fuerat sancitum.

Mortuo Clemente IX Cardinalium sententiæ per quinque menses divissæ sunt, quin de eligendo successore convenient, sed tandem in Card. Æmilium Altieri communia suffragia consenserunt, qui nomen *Clementis X* assumpsit. Hic tali lætitia a Romanis exceptus est, ut in ejus coronatione Senatus nummum cusserit cum epigraphe olim Vespasiano dicata, *Roma resurgens*. Hujus Pontificis res gestæ, virtutesque in oratione funebri a Card. Passionæo prolatæ, eleganter et vere describuntur. Laudat quoque inter alios scriptores Muratorius Clementem X ob utilissimum ab eo promulgatum edictum, quo viri ditionis suæ nobiles admonebatur nullam splendoris generis passuros jacturam, si mercaturis operam dare vellent. Nec minore laude prosequendus ob leges decretaque sapientissima, quæ edidit, ut antiquam revocaret Ecclesiæ disciplinam, veteresque confirma-

ret canones. Modus etiam ab eo publicis sumptibus adhibitus fuit, et tributa inminuta.

Sub hoc Pontifice agi cœperunt in Gallia disceptationes illæ, quæ postea sub successore Innocentio XI magis recruderunt, et quæ sub nomine *Regaliarum* diu utramque partem divexarunt. Etenim contendebat rex ad se pertinere quædam bona, imo et beneficia ecclesiastica Episcopatibus et Monasteriis adnexa, præsertim tempore vacationis, quæque a regali beneficentia profectitia dicebantur. Sed cura Episcoporum Alectensis et Apamiensis consilia pacis injecta sunt, ut mox dicemus.

Obiit autem Clemens X an. 1676, et eodem anno Ecclesiæ regimen demandatum est *Innocentio XI*, antea Ben. Odeschalchio, Cardinali. Pontifex fuit exempli recti domiforisque, et pro causa Ecclesiæ probatae virtutis, dignusque habitus quem hæretici ipsi ferrent laudibus, qui tametsi in difficultibus et periculis reipublicæ christianæ temporibus vixerit, præclaras, inquit Gravesson, omnium Pontificum dotes in se uno collegit. Omnem curam aplicuit ad corrigendos abusus et ad restituendam ecclesiasticam disciplinam, sapientissimasque dispositiones dedit, tum de Episcoporum residentia, tum de regularibus, tum adversus nepotismum, aliasque non minus eximias. Innocentii fama permoti plures Episcopi Orientales, schismate deposito, sese Romanæ Sedi conciliarunt. an. 1682.

Sedente Innocentio XI dissidia illa cum Ludovico XIV Galiliarum rege contigerunt, ex quibus Pontifex magnum et acerbissimum percepit dolorem, verum summa animi fortitudine et invicta constantia se gessit. Et primo Ludovicus XIV *prætensa jura regalæ* extendere cupiens, acres cum Pontifice concertationes habuit, quæ celebri cleri Gallicanī

declarationi ansam dederunt, de quibus postea agemus. Interim opportunum est Pontificem ab illis accusationibus vindicare, quas illi quidam levissimi scriptores objiciunt, illum nempe non debuisse tam acriter Regis voluntati resistere, aut etiam idecirco erga Ludovicum minus obsequenter fuisse, quod jamdiu Nationi Gallicæ fuisse infensior. Etenim hæc a vero prorsus abhorrent. Nam extat autor valde bonus Philippus Cassonius, qui vitam Ludovici XIV descripsit, et Pontificis gratum erga Gallos animum ostendit; extant Comitiorum Pontificiorum Ephemerides, ex quibus intelligitur, Gallorum Cardinalium præsertim opera atque suffragiis, suminam Innocentio dignitatem fuisse collatam. Præterea Pontifex pluribus Gallis viris familiariter utebatur, et plures Galliæ Episcopos secum consentientes habebat. Nota denique omnibus est illa Inn. XI sollicitudo, ut Ludovici XIV filius sancte institueretur, præterquamquod in ipso controversiarum æstu ne verbum quidem illi excidit, quo non egregia quædam erga Regem et Gallos voluntas significaretur. Verum Ludovico Magno morem non gerendum in illa controversia Pontifex duxit, in qua neglecti Apostolici munieris culpam pertimescebat. Cumque esset custos legum Ecclesiasticarum nullo modo debuit ad promerendam gratiam principis sæcularis illas violare; cavendum enim erat, ne illa indulgentia ad maximam exempli perniciem statueretur. Prudenter ergo se gessit Innocentius, cum Ecclesiæ jura tam fortiter defendit, sicut etiam inter ipsos Gallos consultissimi et sanctissimi viri judicarunt. Igitur nemo, nisi partium studio iniquissime abreptus, inficiabitur Innocentii propositum rectum et incorruptum fuisse, et non ab inimico neque cupido animo, sed a certa stabiliq[ue] bene agendi ratione profectum.

Quod similiter de alio dissidio dici debet occasione immunitatum an. 1687 commoto, cum Pontifex jus asyli, quo principum catholicorum Legati, Romæ residentes, gaudebant, in suis palatiis imo in eorum circuitu facinorosis perfugium concedendi, abrogatum voluit. Post brevem resistentiam omnium fere Nationum Oratores consenserunt, et solus Rex Francorum cedere noluit. Hic Oratorem statim delegit C. Lavardinum, quem Romam proficisci jussit, atque antiqui juris posessionem omni ratione tueri. Lavardinus Romam profectus, 800 circiter militibus totam Urbis regionem, qua Gallicum asylum protendebatur, occupavit, excubiasque disposuit. Sed non fregere minæ aut metus Pontificem, qui illas adeo neglexit, ut Lavardinum neque ut Legatum agnoverit, nec in suum conspectum admisserit, Cardinalibus et Proceribus cum eo conversari vetans, atque Ecclesiam Sti Ludovici, in qua Lavardinus communionem acceperat, interdicto subjiciens. Ludov. XIV iratus Avenionem occupavit, et Nuntium Apostolicum Parisiis ab Innocentio evocatum militari manu retinuit. Dissidium ita auctum est, ut in apertum bellum eruperit, quod tamen Pontici honorificissimum evasit, ipso Rege summam ejus virtutem agnoscente, et universa que gesserat revocante. Nihil quidem in hac quæstione fuit, in quo Innocentius XI vigilantissimi Pastoris partes non expleverit, cum ea asyla in magnum tranquillitatis et salutis publicæ damnum vergerent, siquidem flagitiosis impunitatis spem afferebant, et dum civium innocentium salus in periculum quotidie vocabatur, sceleratum hominum impunita remanebat audacia.

Nihil vero dico de calumniosa criminatione in hunc Pontificem conjecta, quasi nempe Jansenianis partibus ille studuerit, etenim hæc negligi potius, quam refelli debent, Cer-

tum quidem est Innocentium ad Jansenianos Episcopos et Arnaldum scripsisse, sed in ejus epistolis ne verbum quidem est, quod in malam partem accipi possit, sed omnia summa tuendæ religionis ac Pontificiæ auctoritatis studium declarant. Unum tantum dicam. Cum Tornacensis Episcopus quædam sibi concedi postulasset, quæ Innocentii X atque **Alex.** VII Constitutionibus repugnabant, id acerbissime tulit Pontifex, illumque jussit statim prædictorum Pontificum decretis obtemperare: atque etiam ad Irenensem Episcopum rescripsit, quid factu opus esset ad Janseniani erroris fibras omnes in Belgio convellendas. Quod quidem ejus mentem a jansenismo prorsus alienam satis demonstrat.

Post Pontificatum adeo feliciter gestum Innocentius XI an. 1689 pie obiit. Extant vero Philippi V Hispaniarum regis ad Clementem XI litteræ, quibus hunc Pontificem impensius rogat, ut de cœlestibus honoribus Innocentio decernendis, quam primum agat; et reipsa causa inchoata est. In ejus locum pridie nonas Octobris ejusdem anni subrogatus fuit *Alexander VIII*, genere, prudentia atque constantia commendandus. Is Leopoldo I et Venetis contra Turcas, qui quamvis sæpius victi bellum in Christianos continuo instaurabant, opem tulit. Dissidia cum Francorum rege componere studuit, verum tametsi Ludov. XIV Avenionem restituit et asyli juri renuntiavit, nihilominus celebrem declarationem cleri an. 1682 tueri pergebat. Quapropter in ipso mortis lecto Alexander VIII coram duodecim Cardinalibus sollemniter constitutionem *Inter multiplices* promulgari jussit, qua omnia et singula, quæ in Conventu Gallicano, tum quoad extensionem regaliæ, tum quoad declarationem de potestate Ecclesiastica et quatuor articulos, acta et gesta fuerant, cum omnibus et singulis mandatis a quacumque per-

sona publicatis.... nulla ipso jure et irrita declaravit, rursumque ea annullavit. Præterea ad Decessoris sui exemplum iis, qui dictis comitiis interfuerant, et ad Episcopales Sedes a Rege nominati erant, confirmationis bullas denegavit. Princeps fuit sane aptus imperio; hoc enim tantum objicitur venerabili seni a suis adversariis, quod a prædilectione nepotum non satis sibi cavisse videatur. De quo quidem, si negari non potest, ob proiectam ætatem facile veniam obtinebit, et quia eadem largitate erga pauperes et alios usus est. Obiit mense Februario an. 1691.

Innocentius autem XII hujus sæculi Pontificiam historiam dignissime absolvit. Valde agitata comitia propter Cardinalium discordiam istius electionem præcesserunt. Etenim valde magnus numerus Cardinalium, quos Zelantes vocabant, talem Pontificem eligere volebant, qui abusus nepotismi penitus cohiberet. Itaque Anton. Cardin. *Pignatellio* vota directa sunt. Quam sapiens vero fuerit hæc Cardinalium electio eventus confirmavit, nam Innocentius XII, data bulla, nepotismi plagam in perpetuum compescuit, districte prohibens, ne Pontificum consanguinei Ecclesiæ bonis ditarentur. Plura quidem sapientissima tum pro Ecclesiæ bono, tum pro ditione Pontificalia constituit, inter quæ illa constitutio ad coercendos ministros justitiae, ne munera acciperent, aut officia venderent, multorum laudibus celebratur. Eadem ac Decessores fortitudine præditus, Ecclesiæ jura versus Gallos defendit, et nonnisi post acceptam ab Episcopis plenam declarationis an. 1682 retractationem, ipsis bullas confirmatorias dedit; quo facto diu optatam pacem Gallicanæ Ecclesiæ restituit. Compescuit etiam lites Jansenistas in Belgio exortas, ad Episcopos an. 1694 diploma dirigenſ, quo prohibuit, ne præter formularium juramenti ad damnandas quinque propositio-

nes Jansenii in sensu obvio, quem tam ipsius formularii quam propositionum verba præseferunt, aliam declaratiōnem exigerent. Cum vero Jansenistæ verba Pontificis *in sensu obvio*, abusive intelligerent, perinde ac si propositiones solum damnandæ forent in sensu obvio, quem earum verba præseferunt, nulla habita mentione vel respectu ad sensum Jansenii, Pontifex hunc vanum eorum triumphum repressit altero brevi an. 1696 dato. Magnam etiam hic Pontifex habuit partem in pace Riswicensi componenda, vi cuius Catholici Principes a pertinaci tot annis inter se bello quieverunt.

Inter Innocentii XII virtutes memorari speciatim ejus effusissima charitas debet, ob quam *Pater pauperum* meruit appellari, nam debitum nepotibus amoris affectum in pauperes totum transtulit, quibus semper aditus ad eum patebat. Mitto dicere, ne longior sim, varia ornamenta, ædificia, nosocomia, cæteraque quibus Romam et alias urbes decoravit. Igitur in historia Pontificum Innocentius XII clarissimum semper locum obtinebit. De quo proinde jure Muratorius affirmat, ejus nomen, virtutem, regimenque in omnibus futuris sæculis benedicenda esse. Mortuus est an. 1700.

Jure quidem felicissimis Ecclesiæ sæculis hoc, quod tales Pontifices habuit, adnumerari debet. Si quis vero horum beneficum influxum in societatem universam fusius agnoscerre desiderat, tum apud Cardin. Matheu, tum apud Beaufort, plures observationes notatu dignas, et his Pontificebus per honorificas, inveniet. (1)

(1) Card. Mathieu, egregium opus, *El poder temporal de los Papas justificado por la historia*, editio Matritensis 1863.—Comes de Beaufort, *Histoire des Papes*, Parisis, 1841.—Cf. etiam de hoc capite, *Biografia Ecclastica in singula horum Pontificum nomina*—Natal. Alex. Supp. tom. II, dissertation. —Hac Am. de Gravesson, sæc. XVII colloq. II, tom. VIII.—Henrion et Receveur, opera et loc. jam cit.

CAPUT XV.

De Cleri Gallicani declaratione an. 1682, et libertatibus Ecclesie Gallicane.

Catholicus præ cæteris regibus Ludovicus XIV Galliæ rex a plurimis appellatur. Quod quidem si verum est, quantum ad ejus personales sententias attinet, fideique observantiam a majoribus acceptæ, constat tamen nullum alium regem gravioribus molestiis Rom. Pontifices affecisse. In nullo vero negotio hujus Principis pertinacia animique elatio magis, quam in celebri Regaliarum causa, apparuit. Consueverant enim Reges Galliæ, tolerantibus RR. Pontificibus, percipere fructus episcopatus vacantis, et conferre tempore vaccinationis omnia ejusdem episcopatus non curata beneficia; quod vocabant jus regaliæ. Certis autem hoc jus erat limitibus circumscriptum, et nihilominus frequentes abusus irreperserant. Nunc vero Ludovicus jus illud ad omnes suæ ditionis diœceses extendere voluit, unde factum est, ut resistentibus RR. Pontificibus, parum absuerit, ut in apertum schisma tota natio Gallicana dilaberetur.

Gravioris certe momenti materiam hoc negotium suppeditat, de quo tamen, brevitali consulentes, pauca perstrin-gemus, cum ab omnibus compertum sit. Etenim omnium manibus teruntur præclara opera tum Com. de Maistre, tum A. Charlas, tum Fr. Ant. Zaccariæ, ut Cardin. Orsium aliquaque plures prætermittam, qui fusius et mature de hoc arguento pertractarunt. Ostenderunt autem citati scriptores, quid de celeberrima Cleri Gallicani declaratione sentiendum

sit; totum illud scilicet, quod in iis Comitiis fuit agitatum, *vindictæ et odio* tum regis, tum præsulum deberi; jussos Episcopos a Rege in Conventum cogi et declarationem edere; hanc vero declarationem imprudentem maxime atque funestam esse, qua nullum forte in Historia documentum magis reprehensione dignum potest inveniri. Præterea Ecclesiæ Gallicanæ miserrimam subjectionem ab illa declaratione ortam esse ostenderunt.

Itaque cum Ludov. XIV ad omnes Galliæ Episcopatus extendere regaliam contenderet, plures Episcopi, quorum Ecclesiæ hactenus ab ea fuerant liberae, regiis decretis restiterunt, sed deinde jussionibus minisque tum regis, tum Parlamenti cedere coacti sunt. Episcopi vero Alectensis et Apamiensis Innocentium XI appellarunt, qui eorum appellationem suscepit, atque eosdem ad tutanda Ecclesiarum suarum jura hortatus est, simulque regem scripto monuit, ut ab extendenda regalia abstineret, quam maiores ejus tolerabili potius quam legitima ratione, Sedis Apostolicæ benignitate, exercuerunt; ac proinde nullum ipsi jus esse eamdem amplificandi. Verum Ludovicus XIV, qui nullam etsi maxime justam contradictionem serebat, Pontificis eonsilia et monita sprevit. Quod autem magis dolendum est, tum suprema curia, tum plures antistites Galli regi contra Pontificem consenserunt. Igitur an. 1681 præsules triginta quatuor, vel juxta alios quadraginta, a rege Parisios convocati, litteras seu Brevia Pontificis ad regem improbarunt; jus regaliæ non tantum ab Alex. III, Innocentio III aliisque postea Pontificibus et conciliis approbatum, sed Regi Gallorum innatum et nulli ecclesiastico tribunal, disciplinæ aut politiæ obnoxium esse contenderunt, ac demum in illis Ecclesiis, quæ hactenus ab onere regaliæ fuerant immunes, pro

hono pacis voluntati regis esse cedendum. Præterea Ludov. XIV suasserunt nationalis synodi vel generalium Comitiorum convocationem, quæ Romanam Curiam ad satisfacendum regis et Ecclesiæ Gallicanæ querelis cogerent. (1)

Rex secundum eorum consilium generalia Cleri comitia Parisiis indixit, ad quæ tamen solum regi addicti, et a ministro Colbert, primo hujus consilii suassore, electi Episcopi venerunt, qui etiam, juxta Fleuri et Bossuet, Pontifici erant infensi. Cæpta Comitia sunt V idus Novembris an. 1681 et per plures menses anni sequentis protracta. Orationem ad præsules congregatos habuit Illm. Bossuet Episcopus Meldensis, in qua plura dixit de obedientia Sedi Apostolicæ debita, de Ecclesiæ unitate, de meritis Francorum Regum in protegenda Ecclesia, et de libertatibus, quas vocabant, Ecclesiæ Gallicanæ. De his postremis plurimum disceptatum fuit, atque etiam de Pontificia et regia potestate; præceperat enim Ludovicus ut de Pontifice ipsi agerent. Unde mense Martio an. 1682, juxta illa duo principia, quæ ut mox dicimus, Fleuri libertatum Gallicanarum cardines vocat, ediderunt celebrem declarationem, qua Rom. Pontificis potestatem restrinxerunt, et specioso libertatum nomine Ecclesiam Gallicanam in majorem regis et Parlamenti subjectionem conjecerunt. Ejusmodi vero declaratio sic se habet:

«Ecclesiæ Gallicanæ decreta et libertates, a majoribus nostris tanto studio propugnatas, earumque fundamenta, sacris canonibus et Patrum traditioni nixa, multi diruere moluntur; nec desunt, qui earum obtentu primatum B.

(1) Ita Wouters, loc. cit. p. 214 qui hanc opportunam observationem subiungit: *;Quanta præsum ad supremam principis voluntatem subjectio! Meminisse debuissent in presenti dissidio potius de ecclesiastarum suarum libertate, quam de regis iuribus agi.*

• Petri ejusque successorum, Romanorum Pontificum, a
• Christo institutum, eisque debitam ab omnibus christianis
• obedientiam, Sedisque Apostolicæ, in qua fides prædicatur
• et unitas servatur Ecclesiæ, reverendam omnibus gentibus
• majestatem imminuere non vereantur. Hæretici quoque ni-
• hil prætermittunt, quo eam potestatem, qua pax Ecclesiæ
• continetur, invidiosam et gravem regibus et populis ostendit,
• iisque fraudibus simplices animas ab Ecclesiæ matris
• Christique adeo communione dissident. Quæ ut incommo-
• da propulsemus, Nos Archiepiscopi et Episcopi, Parisiis
• mandato regio congregati, Ecclesiam Gallicanam repræsen-
• tantes, una cum cæteris viris nobiscum deputatis, hæc san-
• cienda et declaranda esse duximus:

I. « Beato Petro ejusque successoribus Christi vicariis,
• ipsique Ecclesiæ, rerum spiritualium et ad æternam salu-
• tem pertinentium, non autem civilium et temporalium, a
• Deo traditam potestatem dicente Domino; *Regnum meum*
• *non est de hoc mundo*, et iterum, *Reddite ergo quæ sunt Cæ-*
• *saris Cæsari, et quæ sunt Dei Deo*, ac proinde stare aposto-
• licum illud; *Omnis anima potestatibus sublimioribus subdia*
• *git; non est enim potestas nisi a Deo; quæ autem sunt a Deo*
• *ordinata sunt. Itaque qui potestati resistit Dei ordinationi re-*
• *sistit*. Reges ergo et Principes in temporalibus nulli eccle-
• siasticæ potestati Dei ordinatione subjici, neque auctorita-
• te clavium Ecclesiæ directe vel indirecte deponi, aut illo-
• rum subditos eximi a fide, atque obedientia, ac præstito fi-
• delitatis sacramento solvi posse: eamque sententiam publi-
• cæ tranquillitati necessariam, nec minus Ecclesiæ quam
• imperio utilem, ut verbo Dei, Patrum traditioni et Ssrum
• exemplis consonam omnino retinendam. »

II. « Sic autem inesse Apostolicæ Sedi ac Petri successo-

»ribus Christi vicariis rerum spiritualium plenam potesta-
»tem, ut simul valeant atque immota consistant sanctæ
»œcumenicæ synodi Constantiensis, a Sede Apostolica com-
»probata, ipsoque RR. Pontificum ac totius Ecclesiæ usu
»confirmata, atque ab Ecclesia Gallicana perpetua religione
»custodita, decreta de auctoritate conciliorum generalium,
»quæ sess. IV et V continentur; nec probari a Gallicana
»Ecclesia qui eorum decretorum, quasi dubiæ sint auctori-
»tatis ac minus approbata, robur infringant aut ad solum
»schismatis tempus conciliu[m] dicta detorqueant.»

III. «Hinc Apostolicæ potestatis usum moderandum per
»canones, Spiritu Dei conditos et totius mundi reverentia
»receptos; valere etiam regulas, mores et instituta, a regno
»et Ecclesia Gallicana recepta, Patrumque terminos manere
»inconcusso; atque pertinere ad amplitudinem Apostolicæ
»Sedis, ut statuta et consuetudines, tantæ Sedis et Ecclesia-
»rum consensione firmatæ, propriam stabilitatem obtineant.»

IV. «In Fidei quoque quæstionibus præcipuas Summi
»Pontificis esse partes, ejusque decreta ad omnes et singu-
»las Ecclesias pertinere, nec tamen irreformabile esse judi-
»cium, nisi Ecclesiæ consensus acceserit.»

«Quæ accepta a Patribus ad omnes ecclesias Gallicanas
»et Episcopos, iis Sp. Sancto auctore præsidentes, mittenda
»decrevimus, ut idipsum credamus omnes, simusque in
eodem sensu et in eadem sententia.» - Quam declarationem
subscripserunt 34 Episcopi et 35 deputati.

Quum Inn. Pp. XI hanc declarationem cognovisset, per
litteras in forma Brevis, datas postridie Kalendas Aprilis
ejus anni 1882, omnia quæ in istis comitiis acta fuerant, res-
cidit, improbayit, delevit et perpetuo irrita atque inania de-
claravit. Verumtamen Ludov. XIV mandatum dedit, ut præ-

dicta declaratio ejusque articuli ab omnibus curlis, balliviis, et universitatibus susciperentur; omnes Ecclesiasticarum scientiarum professores iisdem suscriberent, et quatuor istos articulos seu propositiones docerent; nullus ad licentiatus aut doctoratus gradum admitteretur, nisi prius eamdem doctrinam in thesibus defendisset; omnes Episcopi in suis diœcesibus hanc ipsam doctrinam tradendam curarent; nullusque, sive sacerdotalis sive regularis Ordinis, quicquam ei contrarium verbo aut scripto assereret. Quorum omnium executionem syndicis et decanis facultatum districte imperavit. Pontifex autem Episcopis a Rege nominatis bullas confirmationis denegavit. Graves deinde contentiones inter Innocentium XI et Ludov. XIV fuerunt, quæ occasione immunitatum, ut superius diximus, magis exarserunt. Etenim eò dissidium devenit, ut de Harlai, generalis causarum regiarum procurator, et Toulon earumdem causarum generalis actor, ab Innocentio XI ad primum generale concilium, tamquam ab abusu potestatis pontificie, appellationem insituerint.

Alexander VIII prædecessoris vestigiis insistens, bulla *Inter multiplices*, Gallicanam declarationem pariter damnavit, sed tandem ab Innoc. XII dissidia composita sunt. Etenim Episcopi 35 a rege nominati, sed nondum canonice instituti, an. 1692 litteras secundum formulam, de qua inter Pontificem et regem convenerat, ad Innocentium XII derunt, in quibus sententiam pristinam retractantes dicebant: * *Ad pedes Beatitudinis vestræ provoluti, profitemur et declaramus, nos vehementer et supra id quod dici potest, ex corde dolere de rebus gestis in Comitiis predictis, quæ Sanctitatæ vestræ ejusque prædecessoribus summopere displicerunt. Ac proinde quidquid in iisdem comitiis circa ecclesiasticam potesta-*

tem et pontificium auctoritatem decretum casseri potuit, pro non decreto habemus et habendum esse declaramus.» Rex ipse, qui antea ab omnibus declarationem an. 1682 teneri et tradidjusserat, in litteris ad Papam VIII Kalendas Octobris scriptis testatus est, se mandasse, ut edictum quo pro temporum circumstantiis omnes ad declarationem servandam coegerat, deinceps nullum haberet effectum. «Et quia animo statui, inquit, qua maxime ratione possum id ipsum Sanctitati vestrae testatum facere; latere eam nolo, jam a me provisum esse, ut edictum, quo Parisiensium comitiorum declaratio an. 1682 die 2 martii, munita fuerat, quodque illorum temporum conditio a me expreserat, effectu deinceps careat, suspensum que censeatur.» Quo facto nominati Episcopi bullas institutionis a Pontifice acceperunt, et concordia inter Apostolicam Sedem Regnumque Gallicanum restituta est. (1) Ita quidem Pontifices, maxima fortitudine ac zelo Sedis Apostolicae jurâ adversus potentissimum regem defenderunt. Cum vero pseudo-synodus Pistoriensis Cleri Gallicani declaracionem suam fecerit, iterum Pius VI Constit. Auctorem fidei, illam damnavit.

Et sane de jure ab omnibus recognito RR. Pontifices decertabant, siquidem illa declaratio perversa principia a Paulo Sarpio et Richerio tradita instaurabat. Atque hinc factum est, ut in universa Ecclesia libelli et censuræ prodierint, quibus Cleri Gallicani declaratio a communi Ecclesie sensu abhorrire ostendebatur. Fortiter illam universitates Lovanienses et Duacensis reprobarunt; in Hispania vero supremi fidei inquisitiores an. 1683 decretum ediderunt, quo sin-

(1) Wouters, loc. cit. p. 216. — Vide etiam Bergier, *Diction. Teol. art. Iglesia Galicana additiones ab Ilmo. D. Montescillo factas.*

guli articuli peculiari censura notabantur. In Hungaria quoque a Nationali episcoporum conventu an. 1686 propositiones illæ damnatae sunt, «*quum schismaticum virus instillent, et perpetua Ssrum Patrum traditione, Ecumenicorum conciliorum decretis, et apertis ipsius divini verbi testimonii satis explosæ confutataeque sint.* &» Ipsa Sorbonica facultas a suscipienda Cleri declaratione se alienam satis indicavit, vi tamen Parisiensis Senatus in sua acta eam declarationem relatam vidit. Quapropter optime potuit D. Kauffmans Conventum illum Gallicanum *conspiracyem* vocare.

Deberet autem ex his tandem intelligi, Gallicani conventus declarationem eam non esse ut nos a certissima nostra sententia de pontificia potestate deterreat. Absurdum etsi nūl est supponere omnes per anteacta sæcula Pontifices, cum in sæculares res intervenerunt, abusive processise, regibus ipsis consentientibus, aut etiam Christi sententias *Regnam meum non est de hoc mundo*, et similes, ipsos, Episcopos, et Reges perperam interpretatos fuisse, cum temporibus negotiis se immiscuerunt. Atqui nihil magis in historia exploratum esse potest, summam in his etiam rebus RR. Pontificum auctoritatem semper habitam esse, atque eos præter Ecclesiæ totius administrationem, de Reipublicæ etiam præcipuis negotiis pertractare; atque obortas in politicis rebus controversias dirimere debuise. Quantæ vero fuerit utilitatis hæc politica Pontificum interventione etiam ipsi Protestantes fatentur, qui exinde religionis integritatem in Europa servatam, despotismi pericula sublata, aliaque non minus egregia, derivant. De quo speciatim legi debet præclarum opus, *Pouvoir du Pape sur les Souveraines au moyen-age*, a cl. Gosselinio conscriptum, ut alia præteream

Quod vero ad II articulum attinet, fuse auctor noster de

sensu et autoritate decretorum in sess IV et V Concilii Constantiensis editorum pertractat, (tom. IV. cap. IV) quo lectorum remittimus, cum de hoc argomento præsertim occasione declaracionis Gallicanæ ibi dissertatione si l. Ostendit autem pluribus argumentis, decretorum Constantiensium contextum talem esse, ut de schismatis tempore tantum et de schismatis causa intelligi debeant, qua posita, concilium affirmavit se potestatem ad ea omnia habere, quæ schismatis extinctionem afferre potuissent. Non possunt igitur hæc decreta de quolibet tempore intelligi vel de quocumque etiam legitimo Pontifice, præterquamquod ipsa nullo modo auctoritate potiuntur, quæ generalis concilii decretorum, a Rom. Pontifice confirmati, propria est.

Supponere autem sicut in art. III Pontificem aliquando contra canones agere posse, vel limites ab ipsis præscriptos excedere, injuriosum est. Omnes namque nationes catholicae agnoscent et facto suo demonstrant, supremam moderandi canones potestatem apud Pontificem esse, de quo Concordata testes sunt. Quod vero ad instituta et mores Ecclesiæ Gallicanæ refertur, mirandum sane est, inquit Alzog, Episcopos regi jura et libertates Ecclesiarum subjecisse, Romanii Pontificis potestatem minuentes, qui harum libertatum defensor natus existit. Et cito quidem animadverterunt, suo malo, Ecclesiam Gallicanam, dum a Pontifice libertatem habere voluit, in servilem et miseram principibus subjectiōnem incidisse, de quo jam Fenelon conquestus est, posterioribus vero temporibus tristi experientia fuit compertum. quod ipsum opportune et eleganter Zalwein describit; (1)

(1) Apud F. Ant. Zaccariam, in *Antifebronio vindicato*, dissert. X, cap. III — Cæsenæ 1772.

«Deplorant, inquit, Episcopi suam jurisdictionem mirum in modum depressam, clerici suas immunitates *reales et personales* penitus suis amissas, Ecclesiæ sua bona vix non ex integro *sæcularizata*, Capitula et Monasteria suum jus sibi præficiendi Episcopos et præsules totaliter ferme extinctum. Paucis; præsules Ecclesiarum cum suo clero facti sunt *vasalli* Regum vel potius Parliamentorum, et ipsa Ecclesia, turbato et inverso ordine, facta fuit ancilla Reipublicæ.» Commemorat postea tot lites et controversias abhinc exortas, et demum concludit: «Melius itaque has libertates dixeris *libertates Regum et Parliamentorum*, quam Ecclesiæ Gallicanæ. Judicet igitur aequus rerum arbiter, an Ecclesiæ Gallicanæ causam sufficientem habeant gloriandi de suis libertatibus, vel potius suam servitutem, quam excusso jugo papali, ut ajunt, subierunt, deplorandi, an, inquam, causam habeant suum regnum vocandi *regnum libertatis*, cætera vero regna obedientiae.»

Non consentiunt autem eruditi in origine, conditionibus, aut vero objecto harum libertatum definiendis. Sunt qui harum fundamentum ponunt in sanctione pragmatica Sti Ludovici; sed Charlas aliique plures censem eam esse supposititiam. Alii eas firmatas dixerunt, per sanctionem pragmaticam an. 1458 a Carolo VII ex decretis Basileensibus confessam; at hæc sanctio an. 1516 per concordatum inter Leonem Pp. X et Franciscum I regem abolita est; (Palma tom. IV cap. IX) «et præsules, ait Spondanus ipse Gallus, hac pragmatica in libertatem se asserere arbitrantes, in servitutem sæcularium principum redacti sunt.» Definiunt autem has libertates, usum juris antiqui jure noviori temperati, sed tamen si accuratam definitionem aliquis expostulet, nemo illas stricte explicare potest. Fleuri easdem his duo-

bus principiis superstruxit, I. Quod potestas Ecclesiæ sit
mere spiritualis, II Quod plenitudo potestatis, quæ est penes
RR. Pontifices, ex præscripto canonum sit exercenda.» Ex
»his principiis quot conclusiones elicueris, inquit, tot liber-
»tatis nostræ monumenta habebis.» Tales vero conclusiones
aliqui scriptores elicuerunt, ut Sedem Apostolicam legit-
mis suis juribus privaverint, Ecclesiam Gallicanam de ea
detraxerint, et in servilem potestatis temporalis servitutem
redegerint, ut jam monuimus. Ipse autem Clerus hoc agno-
vit et ad Pontificem tandem oculos suos convertit; plures
scriptores præfatas libertates derelinquendas hortati sunt,
jamque vix ullus illas defendit. Pius Pp. VII in Concordato
an 1801 omnia Ecclesiarum Gallicarum statula, consuetudi-
nes etiam immemoriales, privilegia quoque, indulta &, sup-
pressit et annullavit; quo facto has quæstiones perpetuè ex-
tinxit. Jamque insistere opus non est in demonstrando,
præfatam Cleri Gallicani declarationem nullo modo Pontifi-
ciæ potestati detrimentum asserre valuisse. Nihilque de IV
articulo seu de Rom. Pontificis infallibilitate dicimus, cum
hoc ad theologos proprius spectet. Notissima vero est et ab
omnibus catholicis admissa sententia, solidissimis argumen-
tis fundata, Rom. Pontificem cum *ex catedra* definit ita esse
infallibilem, ut ipsius decreta, etiam antequam Ecclesiæ
consensus accedat, prorsus irreformabilia sint. (1)

(1) Cf. de hoc capite.—De Maistre, *De le Eglise Gallicane dans son rapport avec le Souverain Pente*.—F.A. Zaccaria, *Antifebronus vindicatus*, disserrt V, cap. V, et disserrt. X, cap. IV,—A Charlas, *Tractatus de libertatibus Ecclesiæ Ga-*
llicanæ.—Cardin. Orsius, *De Rom. Pont in synodos œcuménicas potestate*.—
Henrion, *Hist. Eccl.* tom. IV. *Sententia Fleari ex ejus opusculis ab Abb. Emery*
editis, tum etiam tom. VII, *Dissert. de Ecclesiæ statu sœculo XIX*, &. &.

CAPUT XVI.

De Hispaniae satis scc. XVII.

Hispaniæ florentissimum statum præcedenti sæculo vidi-
mus, jureque potuimus de illo lætari; nunc vero non adeo
felicem narrationem suspicere cogimur. Mutatur enim, si-
cū individuorum, etiam regnorum sors, vicissitudinesque
ista patiuntur, quæ paulatim præteritum splendorem obscu-
rant. Quod etiam (dolore fatendum) nostræ Hispaniæ evenit,
quæ hoc sæculo tristia sane fata adversæ fortunæ percurrit.
Nam multiplicia, quibus fuit implicata, negotia, bella et se-
ditiones felicem exitum non habuerunt, ac proinde illam ad
statum non modicæ decadentiae perduxerunt. Cum vero lit-
terarum, artium, morum, culturæ conditio, nationum etiam
conditionem sequatur, primum est inferre, hæc omnia pa-
riter in deterius devenisse. Quapropter magno mœstre af-
fecti calamum huic narrationi admovemus, quam tamen,
historici partes explentes, fideliter et vere exponemus.

Itaque Philippus II an. 1598 obiit, cui in vastissima do-
minatione filius ejus Philippus III successit, qui usque ad
1621 regnavit, princeps quidem *Pius*, humanisque moribus,
sed gerendarum nationis rerum expers. Viginti fere annos
erat, cum regnare cœpit, et cum indolis esset ignavæ,
universam regni administrationem Duci de Lerma commi-
sit, homini ambitioso et ignaro, qui præcipuos homines præ-
teriti gubernii a negotiorum interventione seclusit, aliasque
onerosas dispositiones dedit. Infelicissimum tenaxque in
Flandria bellum et alibi, ærario exhausto, tandem illas pro-

vincias independentes fecit, induciis duodecim annorum firmitatis (1609.) Verum sub respectu politico religiosoque, nullum majoris ponderis negotium, sub Philippo III, quam moris corum expulsio se offert, de quo superius aliquid dictum est. In quo tamen aliqua excusatione dignum Philippum III Vincentius de La Fuente ostendit, etsi mala ab hac lege tum Ecclesiae, tum regno exorta fateatur. Sed tamen ingens bonum exinde provenit, unitas nimis religiosa jam a *Regibus Catholicis* et successoribus, totae tantis conatibus intentata.

Dum autem haec agerentur, inepta quedam vanitas in Clerum irrepserat, ipsis Episcopis non exceptis, ac per consequens, morum etiam relaxatio et litterarum incuria. Immoderatus scilicet luxus invaserat, apparatus, ostentatioque mundana tum in supellectili, tum etiam in vita ratione, exteriorique modo; et quod magis est, de quibusdam vanis ritibus et praelationibus ingentes liles fuerunt motæ. Cumque reditus Ecclesiastici pinguiores essent, mirum in modum numerus clericorum crevit, qui commodam vitæ rationem querentes, materialesque proventus, non semel simoniæ vitio se commacularunt. Et absque vocatione ordinibus initiati, agendi rationem adhibuerunt ab Ecclesiae mente prorsus alienam. Atque hoc etiam referuntur odiosæ illæ generis informationes (*de limpieza*) quarum vi, nullus qui a judæis vel mauris descenderet, aliqua munera et beneficia obtinere poterat. Haæ vero informationes magnum detrimentum religioni, pietati, litteris ac scientiis attulerunt. Non tamen haec omnia sic intelligenda sunt, quasi in hoc sæculo defuerint plurimi egregiisque litteris et sanctitate vi- ri, qui Ecclesiam Hispánicam exornarent. Etenim omnibus comperta sunt nomina B. Petri Claverii, *Apostoli nigrorum*,

B[ea]B[ea] Alphonsi Rodriguez, Michaelis a Sanetis, Simonis de Roxas, Josephi Oriolani, ut alios plures sanctos præteream. Tum etiam inter Episcopos præcipuum obtinent jure locum Ven. Palafox, Oxomensis, Ven. Petrus Tapiæ, Archiep. Hispanensis, Hieronimus de Lanuza, Fr. Dominicus Pimentel, Episcopus Cordubensis, a Philippo IV Legatus ad Pp. Urbanum VIII, et ab Inn. X Cardinalicia purpura decoratus, aliique plures, quos longum esset percensere. Mitto dicere de insignibus theologis et litteratis hujus sæculi, de quo tantum significare sufficiat, in sola Universitate Salmanticensi plusquam 500 ingentia volumina theologica a professoribus hujus epochæ scripta, inedita custodiri. Si quis etiam missiones ab Hispanis promotas recensere vellet, certum inveniet, universas fere illas, de quibus superiori capite loquuti sumus, ab his inchoatas et perfectas fuisse. (1)

Est etiam hic aliquid respondendum illis hominibus, qui de magno in hac epocha clericorum numero conqueruntur. Plures certe Episcopi hunc abusum tollere satagerunt, inter quos mentionem meretur D. Petrus Gonzalez Episcopus Calaguritanus, qui in suo Pontificatu, paucissimos tantum ipsos que aperte pios et litteratos ordinavit. Observandum vero est ipsos reges et magnates tunc temporis plerasque beneficiorum et conventuum fundationes fecisse, quibus numerus clericorum præsertim regularium auctus est. Non debuit autem Ecclesia novas fundationes rejicere, nec etiam sacros ordines potentibus negare, nisi iis, qui secundum canones indigni judicarentur: quapropter Ecclesiæ hoc crimini verendum non est. Deinde nullum stimulum artes, industria

(1) Cf. Vincentius de la Fuente, *Hist. Ecc. de España*, perio. III, sect. II.—
P. Ramon Buldu, *Hist. de la Iglesia de España*, lib. XVIII. etc.

misere collapsa et despecla adolescentibus offerebant, qu propterea ad statum ecclesiasticum confugebant; in quo qui dem regni administris tantum reprehendi debent, eò quod Hispaniam, ad talem agriculturæ, commercii, industriae decadentiam, vel potius ruinam, suis dispositionibus aut ignavia perduxerint.

Obiit Philippus III an. 1621 in regno successorem filium suum Philippum IV relinquens. Sed non melior sub hoc regni conditio evasit, nec præterita dominationis vitia et inordinationes imminuta sunt. Hic etiam regni administrationem comiti de Olivares dimisit, cuius regimen plura mата statui Hispaniæ jam collapso addidit. Multis bellis et seditionibus fuit implicatus, varia fortuna gestis, ex quibus tamen nationis paupertas, majorque declinatio et ærarii difficultas subsequutæ sunt. Quinimo alias graviores consequuntæ hæc bella traxerunt. Lusitaniæ nimirum independentiam, (1640) Catalauniæ acrem seditionem, a Gallis etiam patrocinatam, Siciliæ rebellionem a piscatore Massaniello excitatam et directam, aliaque hujusmodi; quæ tantum significare sufficit, nam de eis fusius agere politicorum scriptorum interest.

Habuit autem Philippus IV cum RR. Pontificibus occasione *regalarium* quasdam contentiones, quæ tamen honorifice terminatæ sunt. Nam percrebuerat opinio Urbanum VIII Hispanis esse infensum, et Gallos in Italia clam pecunia et aliis mediis adversus Hispanos juvare. Hæc vero Pontificis aversio mirum in modum crevit, postquam in suspicionem venit, Regem Hispaniæ consilium habere illum deponendi, aut etiam occidendi. Huic suspicioni ansam dederunt gravissima documenta, a quodam falsario Molina conficta et Sedis Apostolicæ Nuntio Campeggio tradita, quæ honori et dig-

nitati tum Hispaniæ tum aliarum nationum detrahebant, quamobrem Pontifex in subsidio clericorum regi concedendo parum remissus fuit; sed tamen postea illud benigne ad sexennium prorrogavit. In expeditionibus vero et negotiis cum Rom. Curia gravia damna Hispaniæ inferri Regni Comitia ad Regem, Rex vero ad Pontificem conquestus est, duabus Legatis ad Pontificem missis D. Dom. Pimentel, Episcopo Cordubensi, et D. Joanne Chumacero, qui citata damna exponerent, quique post decem annos frustra Romæ transactos in Hispaniam reversi sunt. Ut autem hæc et alia quamplurima componerentur missus est a Pontifice extraordinarius Legatus Cæsar Fachenetti, renuntiatus Patriarcha Alexandrius, sed valde juvenis et nondum sacris ordinibus initiatus.

Id ægre admodum tulit Philippus IV, qui talis Nuntii adventum despectioni vertens, tribunal Nuntiaturæ claudere jussit. Tunc Pontifex bullas ad Fachenetti misit simul præcipiens, ut quamprimum consecraretur, quas tamen Rex acceptare recusavit, eisque veniam negavit, nisi prius Nuntius promitteret se jurisdictionem suam ita compositurum, ut legitimæ Episcoporum jurisdictioni non obstaret, amplissimis insuper facultatibus sibi in bullis concessis prius renuntiatis. Post longas et iteratas responsiones et Pontificis reclamations, ultraque parte de suo jure aliquid remittente, tandem Nuntius possessionem accepit an. 1640 et *Concordia* a suo nomine vocata, ad abusus impediendos firmata est, quæ legibus regni fuit inserta. In ea jurisdictione Episcoporum fuit restituta, dispensationes ordinatae, et stipendia curiae imminuta, ac ad stabilem normam reducta; aliaque plura, quæ apud D. Joan Tejada in *Collectione Canonum Ecclesiæ Hispaniæ* legi debent, ut hujus quæstionis indeoles et ratio melius dignos-

cantur. Si quis vero subsequentes lites *de subsidio millionum* dicto, a clericis persolvendo, agnoscere desiderat, cum magno fructu leget jam citatam historiam Ecel. Hisp. a D. Vincentio Lafuente scriptam.

Philippo IV mortuo an. 1665 statim post ejus funera acclamatus est Carolus II ejus filius, qui tamen cum quadriennis dumtaxat puer esset, rerum summa ex testamento regis matris Mariannae de Austria demandata est, una cum sex aliis regni proceribus; verum hæc universam negotiorum procriptionem P. Nithard S. J., magna Hispanorum offensione, commissit, quem etiam Generalem Inquisitorem renuntiavit. Ex hac autem epocha alia non modica calamitas Hispanis calamitatibus addi debet; confessariorum regiorum scilicet in politicis rebus interventione influxusque in reges, ex quo factum est, ut religio misere cum politica commisceretur. Graves enim contentiones promotæ sunt, tum inter P. Nithard et Dom. Joannem de Austria, Philippi IV ex comœda Calderonia filium, tum postea cum Carolus II regni curram per se gerere voluit. Etenim Joannes Hispanis admodum dilectus P. Nithard favorem ægre tulit, ejusque administrationem Hispanis pertæsam tolerare non potuit, cumque ministro oppositionem moveret, a regina vidua petens, ut illum a gubernatione separaret, ab aula regia exulare iussus est; deinde vero Josephus Malladas magnus ejus privatus interfactus fuit. Tunc Cæsaraugustæ et alibi seditiones adversus Jesuitas eruperunt, populusque insurrexit, Joannes autem de Austria militibus stipatus Matritum contendit et sublevavit. Obviam illi occurserunt Pontificis Nuntius aliquique rogantes, ut arma deponeret, verum ille cedere noluit, nisi prius P. Nithard destitueretur, ut re ipsa, licet invita regina, factum est.

Cum vero Carolus II ad majorem ætatem pervenit, reginam Marianam in monasterium misit, atque Ferdinandum de Valenzuela, qui post P. Nithard discessum reginæ favorem et negotiorum gestionem obtinuit, custodiæ tradidit. Hic vero in monasterium Escurialense confugerat, sed inde, non obstantibus inmunitatibus, a militibus fuit per vim eductus, quamobrem Prior excommunicationis sententiam in magnates tulit, qui ut absolutionem obtinerent, verberibus affecti sunt. Hæc autem magnatum contumelia D. Joannem de Austria, jam ante in regni administrationem a rege vocatum, maxima ira ræplevit, qui ob id numquam postea pacifice cum Pontificis nuntio egit. Quæ aversio elarius apparuit, cum clerici Sti Franc. Caraccioli de eligendo ministro Provinciali decertassent. Nam Joannes de Austria apud Castellæ præsidem effecit, ut Nuntium Mellinum Capitulo interesse prohiberet, qui cum obedire noluisse, mille scutis mulctatus fuit. Acriter ergo Nuntius ad Pontificem de hac injuria conquestus est, et ut Castellæ Præses destitueretur impense flagitavit. Joannes vero paulo post mortuus est, mulcta in Nuntium prius remissa, ipseque Rex obsequentes litteras ad Pontificem dedit, sed tamen Nuntius non acquievit, donec Præses destitutus fuit, (1680) nam timebatur, ne Pontifex offensus Gallos juvaret. Quod quidem factum per se sufficit, ut Hispaniæ status, administratio, et potentia tunc temporis appareant.

Successerunt postea in negotiorum procuratione Dux de Medinacæli, et Comes de Oropesa, sub quibus in majorem quotidie ruinam Hispania pergebat. Tunc regii Confessarii politice negotiis misere se immiscuerunt, quos suarum passionum instrumenta ministri efficiebant. Unde factum est ut hoc gravissimum munus non modo miseris factionibus an-

sam dederit, verum etiam plurimum de sua gravitate et dignitate amisserit. Necnon etiam abhinc Ecclesiam increpandi occasionem plures hostes arripuerunt, non considerantes Ecclesia mentem ab abusibus privatorum esse prorsus alienam, praeterquamquod plures confessarii absque dubio bona fide egerunt. Ipsi vero ministri confessarios pro arbitrio mutabant, cum ad hoc gravissimum munus obeundum minime viros virtute, scientia, meritisque conspicuos, sed tantum homines sibi addictos illi quærerent.

Quod magis eluxit in miseris aulicis machinationibus, quæ postea invectæ sunt. Erat etenim Carolus II infirmus homo, adversæ valetudinis, pusillanimis et in superstitiones proclivis, cumque absque liberis esset, universi Europæ Principes de regno Hispaniae hæreditando cogitarunt. Vix credibile videtur, quot artes adhibuerint omnes, ut in suam partem regis animum fléterent, quò testamentum ipsis favorable Carolus II conficeret. Inter cæteras vero præteriri in Historia Ecclesiastica non debet scandalosa illa machinatio, a Gallis evoluta, qua persuadere conati sunt, Regem maleficis irretitum esse. P. Froylanus Diaz, Regius confessarius, primus videtur scriptoribus hanc speciem suscitasse, cuius simplicitate mirum in modum Card. Portocarrero, Archiep. Toletanus, et Generalis Inquisitor abusi sunt. Originem autem huic absonæ opinioni dedit, quod Rex maligna ægritudine laborans, nullam in medicina medellam inveniret, unde in suspicionem confessarius venit. Regem esse maleficis artibus læsum. Consulto quodam confessario monasterii opidū Cangas de Tineo, ubi tres moniales obsessæ dicebantur, respondit, dæmonem a se exorcizatum significasse, revera Regem maleficium habere, jamdudum in potu sumptum, cuius maleficii reginam deinde accusarunt. Pluries ergo

Rex exorcisatus fuit, donec Inquisitor Generalis Rocaberti mortuus est.

Tunc regina suo nomini consulens P. Froilanum Diaz ad Inquisitionem detulit, qui Romam fugit, etsi compertum omnibus esset, hunc Patrem nullam sinistram intentionem habuisse, sed cæcum tantummodo instrumentum Gallicæ ambitionis fuisse. Verum regina vindictæ cupida nihil non molita est, donec P. Diaz custodie arctissimæ fuit datus. Declararunt autem ad hoc delecti theologi, Supremumque Consilium non esse locum in P. Diaz procedendi, quapropter Generalis Inquisitor Mendoza, Segoviensis Episcopus, adversus Consiliarios Supremæ processit, et tres ex ipsis desstituit, altero in exilium missò (1699). Sed paulo post Supremum Castellæ consilium omnes Inquisitoris Generalis processus in P. Froilanum Diaz *notorie injustos, nullos et violentos*, nemine discrepante, resolvit, ac demum saera Inquisitio illum plene et omnimode absolvit, quo facto hoc longum negotium, in quo Nationes clam decertabant, terminatum est.

Et quidem hoc negotium cum altero successionis in regno, ut innuimus, erat arte connexum. Duo præcipue factiones acriter dimicabant, regis voluntatem flectere studentes; Gallorum scilicet a Card. Portocarrero sustenta, et Austriacorum, quam regina et plurimi magnates favebant: illa vero maleficiorum fabula nullum aliud præter testamentum regis, habuit objectum, nec aliunde profecta est, quam ab æmulatione illa potentiae et dominatus, quæ duas inter familias Borbonicam et Austriacam jam ab annis ducentis, et tunc maxime vigebat. Rex testamentum suum pluries confecit et mutavit, cum primum ipsius animus in Archiducem Carolum propenderet, deinde vero inciperet in Andegaven-

sem Duce m se inclinare. Plura ab utraque parte inde Caro-
lo regi proposita sunt, quæ illum indecessum premebant,
quare Cardin. Portocarrero regi persuasit Romanum Ponti-
ficem consulere, quid e re publica in hoc maximi momenti
negotio censeret esse; sciebat enim Portocarrero quænam
Pontificis mens esset. Innoc. XII, re per interiores Aulæ mi-
nistros et Cardinales expensa, Regi ex horum sententia re-
nuntiavit, patriam primas in hominum mentibus vindicari
sibi partes, secundas propinquos, hac lege unicuique viven-
dum, at multo magis Principi, cuius unica agendi regula
commune bonum esse debet. Quamobrem Carolus II testa-
mentum scripsit, quo Philippus Dux Andegavensis, regni
hæres instituebatur. Id ægre cæteri Principes tulerunt, qui
domus Borbonicæ præponderantiam invidebant, unde post
mortem Caroli, an. 1700 tetrum *bellum successionis* incæpit,
de quo postea dicemus.

Carolo II mortuo Austriacæ familie dominatio in Hispania
finem accepit, cui præcipuas suas glorias nostra Natio de-
bet. Ecclesia vero Hispanica semper illam regum seriem
amplissimis laudibus ob plura capita celebrare debet, tum
ob unitatem religiosam accurate servatam, tum ob *reforma-*
tionis progressus cohibitos, reformationem religiosorum or-
dinum promotam, missiones excitatas, divinumque cultum
ad maximum splendoris gradum evectum. Præter hæc nulla
umquam natio adeo in litteris, scientiis, artibus, armis, po-
tentia, ut Hispania sub horum regimine excelluit, nec inter
alias nationes honorificentiorum locum obtinuit. Sub postre-
mis vero hujus familie Principibus hoc regnum antea ex-
tensione ad dignitate florentissimum paulatim sublapsum
est. Magistra autem veritatis historia hoc factum maxima
notatione dignum docet; quod Hispania nimirum ad maxi-

mum splendoris et potentiae culmen pervenit, dum fidem intemeratam, morumque integritatem servavit, dum vero mores corruptos et molles fuit amplexa, in maiorem quotidie languorem devenit; vita namque moralis, ut ita dicam, et religiosa populorum directe et aperta ratione in eorum præstantiam et amplitudinem influit. Hoc tamen Hispaniæ plane honorificum fateri debet, quod in tanta rerum perturbatione, bellicis calamitatibus, superstitione, morumque mollitie, nihil ipsa de pristinæ fidei puritate amisserit. Plurimum quidem ad hanc incolumem servandam Inquisitio contulit, cui sane sæcularis potestas semper auxilium præbuit, verumtamen nisi ipsa tam alte fuisse in fide radicata, forsitan ingruentibus hæresibus et præsertim Jansenismo se se commaculasset. Jure proinde iterum affirmari potest, Hispaniam gloriose *catholica* cognomine distingui debere. (1)

(1) De hoc capite vide *La fuente*, op. cit. § CCCXLI ad CCCLXVII.—*Buldú*, op. cit. lib. XVIII et XIX.—*Valladares*, *Semanario eruditó*, in variis locis.—*Gonzalez Davila*, *Teatro Eclesiastico*, tom II.—*Mariana*, *Historia de España*, continuada por D. Eduardo de Palacio.—Madrid 1863.

etiamque in multis confunditibus ministris iusti et misericordia
monumentum. In quantum vero in ecclesiis multitudines inchoatae
difficiliter in ecclesiis se contineunt ut in ecclesiis
difficiliter nos dominum nunc credidimus multitudines credentes
est in ecclesiis difficulter extingui sunt. His enim quod est
sufficiat primum.

EX SÆC. XVIII

in quo hoc opus est. Intelligenda. Iurisdictio. 1. 1. 19767. 192169
autem monachorum est monachorum mecum approbatum
etiamque in ecclesiis multitudines credentes credentes
sunt ut obstatique curiositas efficiens mentis videtur
difficiliter extingui. Quod obstatum est non contradicere possit
monachorum iurisdictio. CAPUT XVII. Iurisdictio. 1. 1. 19767. 192169
Universalis Ecclesiae conspectus sæc. XVIII.

Novam epocham Historiæ Ecclesiastice inchoamus, in
qua debuit Ecclesia magis apertos hostes debellare, et tena-
ces eorum assaltus undecumque perferre, ex quibus tamen
divina virtute incolumis servata est. Lites enim jansenianæ,
sæculo precedenti acri animorum contentione agitatæ, ma-
gis hac ætate exarserunt, in maximum periculum integras
Ecclesias vocantes. Exsurrexit præterea perditissimum homi-
num genus, a quibus omnis prorsus religio, ipsaque Dei
existentia impugnata est. Sed et acerrima certamina Eccle-
siæ intulit incredulorum schola, qui specioso philosopho-
rum nomine Religionem christianam oppugnarunt, omnem
revelationem rejicientes, solamque religionem naturalem,
ut dicebant, seu Deismum adstruere conantes. Hæc autem
sæculi XVIII incredulitas seu pseudo-philosophia erat effec-
tus et prava progenies pseudo-reformationis sæc. XVI. Ete-
nim Novatores solam Scripturam, quam, rejecta Ecclesiæ
auctoritate, secundum privati sui spiritus dictamen interpre-

tabantur, esse Fidei regulam contendentes, ipsam hominis rationem credendorum judicem constituebant. Hujusmodi doctrinam ad dubietates et incuriam in religionis negotio ducere compertum est. Eadem enim libertate seu licentia, qua Lutherus et Calvinus nonnullas Scripturæ partes, et varia dogmata, quæ Ecclesia ab Apostolis constanti traditione conservaverat et docuerat, abnegarunt, ita etiam isti pseudo-philosophi omnem Scripturam et revelationem reje-
cerunt.

Ex his autem evenit illa animorum inquietudo et in novitates proclivitas, quæ huic sæculo tale character indide-
runt, ut a cæteris elapsis, religione et moralitate, plurimum differat. Multi enim omnis generis scriptores hujus sæculi tum indirecte, tum aperta fronte illa indubitate principia, et doctrinæ capita negarunt, vel perverterunt, quæ ab omni-
bus hucusque firma rataque habita, numquam in controver-
siam vocata sunt. Qui homines fama, ingenio, eruditione,
opibusque pollentes taliter in animos populi influxerunt, ut
novæ generationes ab avorum institutis plane defecerint,
atque incredulitatem, velut morum culturam, habuerint: ac
proinde suis scriptis effecerunt, ut catholica dogmata, mys-
teria, cultusque despicerentur, vel saltem nullo delectu
tractarentur. Ex quibus etiam immanis morum corruptio
subsequuta est, effrenisque omnia carpendi et innovandi
libido. Ipsique Principes hoc sæculo novitatibus proni, per-
versis principiis imbuti, et in religione indifferentes Eccle-
siam variis modis insectati sunt. Acceserunt societates oc-
cultæ Liberorum cœmentariorum (*Francs-Massons*) et alio-
rum, quæ mala multigena Ecclesiæ et societati intulerunt,
et in generalibus rerum civicarum et ecclesiasticarum con-
flagrationibus maximam partem habuerunt.

Hæc itaque omnia magnum odium in Ecclesiam, in religiosos ordines, et præcipue in Societatem Jesu concitarunt, quæ postrema tandem, data Bulla, ad majora vitanda mala, a Clemente XIV suppressa fuit. Interim illud religiosæ et civilis libertatis studium, licentiae amor, novique regiminis cupidio, universam rerum dissolutionem tandem attulit, tetramque tempestatem malorum omnium feracissimam præparavit, Gallicam scilicet revolutionem, qua nullum in recentiori historia majus malum inveniri potest. Non defuit autem in his rerum angustiis Ecclesiæ sue Dominus, sed illam misericorditer ab hostiis incursionibus defendit. Hæc autem Ecclesiæ in tam atroci concussione firmitas, argumento ad ejus divinitatem ostendendam, ex ipsius mira conservatione desumpto, magnum robur suppeditat.

Licet ista sufficient, ut hujus sæculi specimen habeatur, præstat tamen aliqua breviter de statu Ecclesiæ in diversis regionibus dicere. Et primo quidem in Oriente apud Maronitas seu christianos montis Libani, qui raro constantiæ exemplo in unione cum Rom. Ecclesia perseverarunt, plurimum religio florebat. Hi liturgiam et ritus propios habent, in quibus peragendis lingua antiqua syriaca utuntur, et a clericis gubernantur, Romæ in collegio suo, instructis. Præcipua eorum sedes est Libanus, cuius partem Kesruam dictam ipsi incolunt. Ibi in monasterio Cannobim supremus eorum Episcopus residet, qui titulum Patriarchæ Antiocheni retinet, et semper a Pontifice constituitur. Apud ipsos vero aliqui abusus irrepsorant, quamobrem Clemens Pp. XII ad eos delegavit doctissimum J. S. Assemani, cuius consilio an. 1756 synodus convocata est. Interfuerunt Patriarcha et plures Episcopi et Abbates, qui saluberrima decreta de disciplina ediderunt, a Bened. XIV postea approbata, quibus

religio in posterum maxime viguit ac viget. Antea etiam pro Albanis Clemens XI multa opportuna decreverat de ratione prædicandæ et conservandæ fidei inter Turcas et hæreticos, de sacramentis, aliisque ad reformationem spectantibus. Utque huic objecto majus præsidium adjiceret, adolescentibus istius Nationis Romæ in collegio de *Propaganda Fide* locum et congruam dotem constituit, quatenus sic orthodixa doctrina et recta disciplina instituti, deinde apud suos sacro ministerio fungerentur.

In aliis autem Turciæ provinciis dura erat numerosorum christianorum ibi degentium conditio, nam universim gravibus tributis et præfectorum exactionibus opprimebantur, ipsis exercitium religionis variis limitibus erat constrictum, et Mahumetanos ad christiana sacra convertere vel admittere severe erat interdictum; quibus non obstantibus, missionarii catholici plurimos ad veritatem catholicam perduxerunt. Apud Persas missiones Ispahamensis et Sirvanensis magnos fructus dabant, primis autem hujus sæculi annis Clemens XI peculiaribus litteris missionarios Hosaino Persidis sultano commendavit, et ab eodem subditis catholicis liberam suæ Religionis professionem impetravit.

In Africa vero, ubi tantopere religio sæculo floruerat, non adeo frequentes aut numerosæ missiones catholicæ erant; sed tamen in insulis, quas Hispani, Galli et Lusitani possidebant, religio catholica dominabatur, atque in Azoricis, Canariis, Promontorio Viridi et alibi omnes incolæ catholicam fidem profitebantur et episcopos habebant. Florebat etiam religio catholica in insulis Gorea, Senegaglia, Guinessibus in regnis, ipseque rex Congi cum aulicis suis religioni catholicæ erat addictus. His aliisque apud infideles missionibus plerique laici Europæi subveniebant, qui, primos

— 102 —

christianos imitantes, pro ecclesis pauperibus et fratribus
egentibus collectas faciebant, et ita ad sustinendas et pro-
mōvendas missiones subsidia conferebant.

In Sinis postquam Benedictus XIV ritus Sinenses dam-
navit, persecutio vehemens exarsit, et an. 1750 plusquam
70 missionarii in carceres conjecti et christiani quampluri-
mi bonis ipsaque vita privati fuerunt, sed Legatus a Rege
Lusitaniae ad imperatorem cum muneribus missus, pacem
ipsis impetravit, quæ tamen saepe interrupta est, quamo-
brem missionarii posteriori tempore apostolicos labores, ea
qua opus erat prudentia resumpserunt, et illata religioni
detrimenta aliquatenus repararunt. Indiæ Orientales varia
sorte fruebantur, sed ab anno 1760 ibi religio decrevit, be-
llo inter Anglos et Gallos de Pondicherii possessione excita-
to. Tongkini vero regnum post plurimas persecutiones
tranquillitatem postremis hujus sæculi annis accepit, et ma-
jorem numerum christianorum recensuit. Sub his etiam
temporibus persecuzione in Cochinchina remissa, triginta
Jesuitæ in hoc regnum venerunt, et Evangelium prospero
successu propagarunt.

Quod attinet ad insulas, Sinam et Indianam circumiacentes,
ex quo tempore in illis dominium nacti sunt Batavi et Angli,
res catholicæ ibidem declinarunt, et in multis interierunt.
Nam non solum obstacula multifaria missionibus catholicis
a Batavis et Anglis suscitata sunt, sed etiam ministri pro-
testantes ad sua sacra insulares pertrahere studuerunt,
eumque in finem Biblia sua aliquosque libros religiosos, in
linguas asiaticas versos, inter illos disseminarunt, scholas
fundarunt, aliisque mediis usi sunt, quæ etiam adhibuerunt
in terris Indiae Danorum et Anglorum dominio subjectis.
Prosper vero in America ecclesiarum et missionum status

perdurabat, præsertim in coloniis quas illie Hispani et Galli creaverant, ita ut in sola Californensi missione, a Jesuitis directa, indigenæ conversi an 1745 quadraginta et tres reductiones seu pagos efficerent. In *Statibus-Unitis* et cæteris coloniis ab Anglis conditis, catholicorum conditio multifariis vexationibus fuit obnoxia, sed illa mitior redditæ fuit, ex quo tempore Status Uniti suam independentiam nacti sunt, quam an. 1783 Angli ratam habuerunt.

Verum in Europa non tam jucundus, ut modò diximus, religionis status apparebat. De Hispania suo loco dicemus, Gallia vero universam fere hujus sæculi Historiam occupat. Catholicorum in Anglia conditio, etsi persecutiones intermissæ fuerint, dura remanebat, etenim leges contra ipsos latæ, quibus omni civitatis jure et religionis libertate erant privati, per maximam hujus sæculi partem viguerunt, ipsique sæpe populi et magistratum vexationibus fuerunt obnoxii. Guillelmus III ab an. 1689, ejecto Jacobo II, rerum potitus, omnibus, exceptis catholicis, religionis libertatem concessit, juraque omnia denegavit, nisi communionem apud Episcopales perciperent, et ipsi fidem jurejurando promitterent. Tunc omnes sed præcipue Hiberni multa pertulerunt. Etenim hi sicut in vera fide ita etiam in legitimi regis obdientia constantes, arma pro Jacobo II capessiverant, quare Guillelmus cum exercitu in Hiberniam profectus, eos ad internacionem persecutus est. Quo facto plura Hibernorum millia patria pulsa sunt, et reliquis omnes fundi adempti, et omnia publica manera prohibita sunt. Ita fere hic rerum status perduravit donec an. 1778, supplicantibus catholicis, Cameræ tum *Communium* tum *Procerum* leges iniquas a Guilielmo III contra ipsos latas abrogarunt, eisque præsertim Hibernis, jus hæreditatis et emptionis restitue-

runt: quæ decreta confirmavit Georgius III rex. Deinceps illorum conditio melior evasit.

Universæ Germaniæ nationes plurimum ab incredulis persæve sunt, cum antea jam animos ad hoc Pietistæ præparassent, qui magis practicam quam theoreticam religionem curantes, viam ad indifferentiam dogmaticam aperuerunt. Magisque incredulitas viguit favore Friderici II, postquam hic (1740) Borusiæ solum ascendit, nam hic incredulos e Gallia profugos suscepit, et beneficiis prosequutus est, necnon cum præcipuis ipsorum coriphæis, Voltaire, Alembert, aliisque familiaritatem litteris mutuis colebat. Qui ipse inter apertos Ecclesiæ hostes numerari debet, licet aliunde catholicis suis subditis liberum religionis suæ exercitium, pluraque jura civilia concesserit. In Suecia item et Dania, posterioribus hujus sæculi annis, catholici aliquantum profecerunt.

In Polonia religionis catholicæ prosperitas impedita fuit, tum domesticis Polonorum dissidiis, tum bellis, quibus Russi supremum suum dominium in hoc regno stabilire conati sunt. An. 1772 Catharina II Imperatrix Russiæ, Josephus II Austriae, et Fridericus II Borussiæ maximam partem regni Poloniæ sibi diviserunt, paucis tantum provinciis Stanislao Augusto II relictis; has vero etiam an. 1795 rursum usurparunt, regnumque Poloniæ penitus aboleverunt. Interim in omnibus provinciis Polonicis liberum suæ religionis exercitium unicuique concessum est. Verumtamen Catharina II quamvis catholicos *ritus latini* toleraret, Græcos unitos in Lithuania, Volhinia, aliisque veteris Poloniæ provinciis diversimode vexavit, eorum ritum sub pœna exilii proscribens, eccliasque sacerdotibus schismaticis tradens; quo effectum est, ut plura millia catholicorum *ritus græci* fallaci-

bus promissis, minis aut violentiis cesserint, et ad schisma defecerint, alii in ritum latinum transierint, plurimi vero in Siberiam fuerint relegati.

In Austria vero grave negotium obtulerunt decreta quamplurima Ia Josepho II ad innovandam rem ecclesiasticam promulgata. Hic inter alia liberam Episcoporum cum Apostolica Sede relationem impedivit, *placet* regium pro omnibus pontificiis scriptis decernens; rem matrimoniale propria lege definiens, plura matrimonii canonica impedimenta vel restrinxit vel abrogavit, et alia nova constituit; immunitatem clericorum sustulit, monasteria suppressit, forum ecclesiasticum ademit, aliaque plura gravissima innovavit. Fere omnes Episcopi, plures doctores Universitatum, ipseque Nuntius Apostolicus libellos supplices ad imperatorem contra noxias novitates dederunt, verum Josephus prælatorum preces et monita sprevit, pluresque eorum dure redarguit. Tunc Pius Pp. VI an. 1782, postquam plures litteras ad Imp. frustra dedit, Viennam se contulit.

Josephus II Pontificem honorifice excepit, quo cum lacrymis expostulante de malis Ecclesiae illatis, nonnulla decreta temperavit, sed brevi post, consiliis sophistarum, præsertim ministri sui Kaunitz, obtemperans, suas innovationes persequi non destitit.

Idem Imperator dissidia de Nuntiaturis inter quatuor Germaniæ Metropolitanos et Sedem Apostolicam exorta fuit, protexitque. Nam consueverant RR. Pontifices a tempore *Reformationis* Nuntios in Germania constituere certis juribus et privilegiis instructos. Adversus hoc Ecclesiastici electores Imperatori obtulerunt triginta gravamina, postulantes, ut nullæ deinceps causæ ad Sedem Apostolicam ejusve Nuntios deferrentur, quibus Imperator assentiens, edic-

to an. 1785 lato, Nuntios in Germania omni jurisdictionis exercitio interdixit. Brevi post iidem Metropolitæ Deputatos ad aquas Emsenses misserunt, instructionibus munitos, qui celebrem *Punctuationem Emsensem* 23 articulis confece-
runt, quibus pene totus hierarchicus Ecclesiæ status, eccle-
siasticique regiminis forma temerarie conveltebatur. Sed
motibus in Belgio excitatis, et morte Josephii Imperatoris,
tum generali rerum in Galliis conflagratione, conceptæ in
congressu Emsensi innovationes evanuerunt. Quinimo ipsi
Metropolitæ electoratibus suis privati, Sedibus ejecti, et in
exilium acti sunt. Pius vero VI temerarios eorum ausus gra-
viter redarguit, omniaque ad Nuntiaturas spectantia in res-
ponsione ad eosdem solidissime et copiose tractavit.

Ex quibus omnibus satis liquet Ecclesiæ statum hoc sæ-
culo graviter fuisse concussum. Hæc vero, quæ vix summa-
tim delibavimus, divinam, qua ipsa regitur, virtutem, ite-
rum luculenter ostendunt. Non enim absque divino præsi-
dio evenire poterat, ut Ecclesia incolmis inter tot, tantas-
que ruinas sola perstaret et tam atroces tempestates supera-
ret. Alioquin, nisi ita esset, nullo modo ejus existentia et
firmitas non obstantibus tantorum hostium conatibus, expli-
cari possent. (1).

(1) De hoc capite vide Wouters, *op. cit.*, epocha XII.—Alzog, periodo III,
epocha II, § CCCLXVII et seq.—*Memorias para servir à la historia Eclesiástica
del siglo XVIII*, in Hisp. linguam versæ a D. Vincentio Gimenez, Gerundensi
Canonico. Madrid, 1814. etc. etc.

CAPUT XVIII.

De bello successionis in Hispaniarum regnum.

Est nunc aliquid breviter dicendum de isto negotio, quod in politicis hujus saeculi fatis valde supereminet. Nam plurimae Nationes acriter et diuturne inter se dimicarunt, ex quo etiam Apostolicæ Sedi molestiae non leves illatae sunt, Hispaniae vero gravissima detimenta et damna evenerunt.

Itaque Carolus II Hispaniarum REX die prima Novembris an. 1700 absque liberis mortuus, Philippum Andegavensem Ducem, sororis suæ Mariae Theresiae et Ludov. XIV nepotem, regni haeredem testamento constituit. Cardin Portocarrero Regni Gubernator, pluresque proceres ad Ludov. XIV oratores misserunt, qui Philippo fidelitatem et obsequium praestarent, ut reipsa factum est; et iste deinde communi plausu ab Hispanis rex salutatus fuit, et a Nationibus recognitus. Valde autem commotae sunt hac re quamplurimæ potentiae Europenses, quæ domus Borbonicæ præponderantiam ægre videntes, æquilibrium Europæum sublatum pertimescebant. Intercessit etiam Leopoldus imperator, jura meliora in Hispaniam filio suo Carolo Archiduci Austriae esse contendens, utpote Mariæ de Austria, Philippi IV sororis, nepoti, ac proinde propinquiori haeredi; quare Leopoldus bellum paravit, sed prius Anglos, Batavos, aliasque in partes suas pertrahere studuit.

Sentiebat autem Clemens XI Summus Pontifex, quot mala Italiae universæ atque catholico orbi ex hoc bello imminebant, quare, gravibus ad principes missis litteris, omnibus

modis publicam tranquillitatem asserere studuit, atque instantis belli periculum amoliri. Timebat enim feralia belli theatra, Insubriam in primis et utriusque Siciliæ regna esse futura, quæ quamvis hæreditario nomine Hispani reges possederant, non latebat, plures principes illis varia fretos ratione inhibere. Itaque Imperator a Pontifice impense hortatus ad rejiciendas belli curas, per Apostolicum in Germania Nuntium significavit, se libentissime stabiendiæ concordiaæ sequestrem Pontificem habiturum, neque missurum in Italiam copias, dummodo Galli Hispanique pari interim moderatione uterentur. At Ludov. XIV qui noverat, Philippum Andegavensem unanimi Hispanorum optimatum suffragio salutatum regem, eumque regno jam concordi popolorum voluntate potitum gaudebat, Pontificis consilia, prolatasque Leopoldi nomine conditiones neglexit, immo vero de sanciendo cum Pontifice fædere impensius egit. Interim unoquoque potiora sua jura defendere curante, illud repente conflatum est bellum, quod publicam totius Europæ tranquillitatem perturbavit. Anno igitur 1701 Germani milites Italiam invaserunt ac Ferrariensem Ducatum occuparunt, Pontifex vero suas copias opposuit, et deinde Gallo-Hispanorum parti aliquatenus proclivem se præbuit.

Tamen Angli, Batavi, Lusitani cum Leopoldo juncti viribus atque consiliis, Archiducem Carolum per id tempus Hispanorum regem Viennæ pronuntiarunt, classemque instruictissimam contra Ligurum steterunt, quo timor magnus Pontificiam ditionem invasit. Sed accurate eodem anno Hispani fæderatorum classem prope Malacam fuderunt, multaque præsidia in Italia expugnarunt, atque eodem prospero marte in Sabaudia, Lusitania et alibi usi sunt. Sed postea, sorte mutata, gravissimam cladem ad locum Hochstet ex

perti sunt, (1704) qua fere dissipati Gallo-Hispani fuerunt, quam cladem ipsi deinceps multo pacto resarcire potuerunt. Deinde Hispanicam classem ex America reducem Fæderatorum naves prædatæ sunt; quamobrem Archidux Carolus causam suam actem existimans, Ulissipone exscensionem fecit, atque a nonnullis provinciis acclamatus Mætritum usque penetravit, (1706) unde Philippus V jam fugerat. Sed anno sequenti, Philippus V, insigni Victoria de Fæderatorum exercitu ad Almansam relata, res suas pene perditas erexit, Mætritum recuperavit, plures rebelles civitates domuit, suoque dominio Ilerdam et Tortosam subjicit; Dux item Noailles Catalaunos tumultuantes sæpius repressit. In Italia simul et Delgio bellum varia fortuna gerebatur.

Interim Imperator Leopoldus an. 1705 obierat, eique primogenitus filius Josephus I successit, qui pari ac pater animo bellum continuavit. Hic vero Pontificem ad se trahere enixe contendit, quod cum efficere non posset, graviter in ipsum excanduit. Nuntius e Viena pulsus fuit, et præterea Imperator exercitum *primarum precum* magis quam parerat, extendere voluit, Episcopis renuentibus, in quos ille ob id pœnam decrevit. Pontifex vero hoc imperatoris factum improbavit, litteris ad Episcopos datis, nullum ei jus in hujusmodi precibus esse; et insuper copiis Imperialibus hibernalia in Parmensi provincia negavit. Imperator iratus Pontificis dominium in provinciam Comachio impugnavit, et hanc urbem per milites cepit, quæ res universam fere commovit Europam, eoque periculi Pontificis negotia traxit, ut sine præcipuo Dei auxilio componi non posse viderentur. Pacem autem Josephus I concessit, ea tamen conditione, inter alias, ut Carolum Archiducem Clemens XI legitimum Hispaniæ Regem agnosceret, (1709) quod Pontifex præstare

coactus fuit. Hæc Pontificis agerdi ratio Ludovicum XIV graviter commovit, qui propterea minatus est se velle, repudiata potestate pontifícia, suo regno Patriarcham a se delectum praeficere: sed et Philippum V ita offendit, ut quamquam Pontifex metu imperatoris adactus id fecerit, Legatum Apostolicum solum Hispaniæ migrare jussérunt, numquamque deinceps hujus rei oblitus fuerit. Clemens Antistitum Hispanorum opera usus, regem flectere studuit, quod et obtinuit.

Dum autem hæc in Italia eveniebant, Fæderatorum arma in Hispania prospero Marte pugnabant. Nam Ludovicus XIV ab hostibus impetus copias suas exinde educere debuit, et Philippus V sibi relictus iterum saluti suæ fuga consulere coactus fuit. Tunc Comes de Staremburg cum numeroso exercitu in Hispaniam a Fæderatis missus, Carolum secundò in Matriatum perduxit, qui rerum potitus est, et deinde Barcinone suam sedem fixit. Sed resumptis viribus Philippus et a Marescallo de Noailles adjutus, plures civitates reduxit, et postea Anglos apud Brihuegam, Germanos apud Villamvitiosam plene fudit, (1710) quo dominium suum magis solidavit. Mortuus est per id tempus Imperator Josephus, (1711) et ei successor Carolus Archidux ejus frater datus est, cuius res fere desperatae in Hispania incedebant, qui de sua electione certior factus, relicta Barcinone, confestim Viennam in Austria se contulit, imperio potitus.

Tunc Nationes quæ de æquilibrio Europæo servando impense curabant, timuerunt ne forte vastissimum Caroli V imperium iterum constitueretur, quamobrem in Caroli juribus ad coronam Hispaniæ defendendis multum remisserunt; et paulo post, à Philippo V omni jure in Galliæ regnum renuntiato, de pace componenda serio cogitarunt, et reipsa in Congressu Ultrajectensi pax inter Nationes omnium

votis tantopere exoptata, an. 1715 sancita fuit. Præcipuæ vero inter conditiones pacis hæ sunt, scilicet; Philippus V suo et successorum nomine Coronæ Galliæ renuntiavit et legitimus Rex Hispaniæ et Indiarum declaratus et recognitus est: Siciliæ regnum Duci Sabaudiæ fuit concessum, et regna Sardinia et Neapolis in dominium Imperatoris transierunt. Tamen Carolus his pactis assensum præbere renuit, et bellum usque ad annum sequentem prosequutus est, quo suis rebus consulens pacem cum Ludov. XIV dumtaxat, exceptis Hispanis, pepigit. Philippus vero Barcinonem, quæ resistentiæ vexillum erexerat, post longam et obstinatam obsidionem perdomuit, et insulas Balearicas suo dominio subjecit, atque ita firmitatem in regno assequutus est.

Purimum in hac pace Pontifex laboravit, ut Ecclesiæ iura contra hæreticorum conamina defenderet, nihil enim hæritici studiosius moliebantur, quam orthodoxæ religionis violatis juribus, ampliores hæresi fines conquirere, atque Wesphalicæ pacis damnata pacta innovari flagitabant. Plures etiam catholici viri, humana potius quam divina spectantes, ejusmodi perniciosis postulatis, suorum Principum nomine, suffragabantur. Quare Clemens, misso in Comitia Dom. Passionæ, a Principibus feliciter obtinuit, ut catholica religio, juxta pacta Riswicensia, in omnibus provinciis ubi ea vigebat, integre servaretur.

Sed Imperator Carolus, ut diximus, in concordiam cum Hispanis non ivit; Sabaudiæ item dux, qui Siciliam a Rege Hispaniæ relictam, possidendam accepit, pacta conventa non servabat. Interim Imperator bellum acriter Turcis declaravit, de quibus præclaras victorias an. 1716 et deinceps retulit. Philippus V hanc favorablem occasionem suis consiliis existimans, adornata classe, Sardiniam per id tempus

occupavit, et anno sequenti regnum Siciliæ aggressus, Panormum, Messanam et alias urbes cepit. Tunc denuo bellum exarsit, in quo Philippus Europam fere totam, ipsis Gallis non exceptis, sibi adversam habuit. Carolus enim pace cum Turcis firmata, adversus Hispaniæ regem totus incubuit, Galli in regnum Navarræ arma intulerunt, et munitionissima castra occuparunt, Germani, post varios eventus, Siciliam et Sardiniam in suam potestatem denuoredegerunt, eoque tandem Hispaniæ regem adduxerunt, ut pacem onerosis conditionibus an. 1725 Viennæ firmare coactus fuerit. Quo facto denique, etsi non ad multum tempus, Europa quievit.

Gravissima damna ex his diuturnis et infelicibus bellis Hispaniæ illata quisque facile videt, et apud Marchionem a Sto Philippo, in historia hujus belli, legi possunt.

Nolumus autem huic capiti finem dare, quin prius significemus, injuste prorsus de Clemente XI, occasione hujus *belli successionis*, a nonnullis detrahi, quasi nempe hic Pontifex miseræ instabilitatis in suis politicis opinionibus exempla dederit. Verum si impartiali animo historia legitur, nihil appareat unde Clemens hujus rei jure insimulari possit. Testem enim minime suspectum Rankehabemus, Pontificem nonnisi necessitate coactum, Archid. Carolum Hispaniæ regem agnovisse, postquam frustra Principum auxilia expectasset, et ad postremam usque horam praefixi temporis, ut subscriptionem suam daret, restitisse, quo elapso, minati fuerant Fæderati Romam et Status Pontificios militaribus copiis occupare. Præterea Clemens XI Sedis Apostolicæ libertatem periclitantem dolebat, nihilque omissit, ut dissidia inter Principes componerentur. Necesse non habemus omnes politicas vicissitudines hoc factum subsequentes attinge-

re, eum exploratum sit nihil aliud Pontificem intendisse, nisi quod religionis causæ magis expedire, pro diversis adjunctis, ipse judicavit. Horum autem bellorum terminus in summa a Sedis Apostolicæ consiliis non fuit alienus; quod nimurum domus Borbonica in Hispania, et magna Italæ parte regnaret.—Demum, quod sedulo notandum est, prudenter omnino Clemens in Archiducis recognitione se gessit, ad normam Constitutionis a Clemente V latæ declarans; *Si quem Summus Pontifex sub titulo cuiuslibet dignitatis, ex certa scientia, verbo, constitutione vel litteris nominet, honoret seu quovis alio modo tractet; per hoc in dignitate illa ipsum approbare non intelligatur, aut quidquam ei tribuere novi juris.* Quo prudentissimo actionis momento non minus Apostolicæ Sedis in utrumque Siciliæ regnum, quam aliena jura, præsertim de Hispana successione contendentium, æqualiter salva et illæsa manserunt. Atque hoc pacto potuit deinceps cum Siciliæ rege contendere, ut Sedis Apostolicæ jura integra permanerent. (1)

(1) De hoc capite cf. *Historia de España*, superius citata.—Buldú, loc. cit. Amat de Gravesson, sœc. XVII, colloq. I.—et præcipue Clementis XI vita ab Angelo Fabronio scripta, et historia bujus belli a Marchione de Sto. Philippo, sup. cit.

CAPUT XIX.

De Litibus Jansenianis, Constitutione Unigenitus et schismate Ultrajectino.

Superius significavimus Ecclesiæ statum sæculo præcedenti acriter a Jansenistis fuisse concussum, donec pace Clementina an. 1669 lites aliquantum quieverunt. Sub finem vero sæculi elapsi Innocencius XII exorientes in Belgio motus data bulla sedavit. Sed hujus hæresis indeoles rebellis et versuta nunquam destitit in posterum bellum infestum Ecclesiæ inferre; et lites jansenistæ ab annis aliquot jam sopita, majori intensione ineunte hoc sæculo recruduerunt. Apparuit anno 1701 famosus ille *casus conscientiæ* a jansenistis, ut fertur, confictus, et à quodam sacerdote propositus doctoribus sorbonicis, cuius occasione ingens conflagratio animorum erupit. Nam licet hic casus hominem privatum videtur attingere, omnes Ecclesiæ decisiones adversus jansenismum revera convellere tentabat. Quærebatur scilicet an in sacro confessionis tribunali absolvere liceret clericum, qui confiteretur se quinque propositiones Jansenii damnare in omni sensu, quemadmodum eas damnaverat Ecclesia: quantum autem ad factum spectat, an scilicet sensu damnato in libro Jansenii continerentur, se non nisi religiosum servare silentium. Quadraginta Sorbonici Doctores consulti responderunt talem clericum absolvvi posse, ejusque opiniones nec novas nec damnatas esse. Hoc responsum secretum integro anno servatum est, sed anno 1702 tipis vulga-

tum, jansenistarum audaciam auxit, eoque ad eludendas pontificias constitutiones mirum in modum abusi sunt. Clemens Pp. XI an. 1703 Sorbonistarum decisionem damnavit. Eamdem sententiam Cardinalis de Noailles lato decreto proscripsit, tanquam Pontificiis constitutionibus contrariam, et ad fovendas scissiones aptissimam, restrictionesque mentales, immo perjuria promoventem; cui deinde plures Episcopi, Theologique Duacenses et Lovanienses acceserunt, qui prædictam doctorum resolutionem variis censuris notarunt. Ipsi doctores Sobornici a Ludovico XIV decisionem suam revocare coacti sunt; quod reapse omnes, uno excepto, ut vitarent damnationem, fecerunt.

Tunc jansenistæ a Quesnellio excitati adversus brevia a Pontifice lata acriter insurrexerunt, eumque diversimode accussarunt: cumque postea continuò contenderent circa factum sufficere obsequiosum silentium, hacque via pontificias constitutiones eluderent, iterum Clemens XI anno 1705 a Galliæ Rege et nonnullis Episcopis rogatus, bullam edit *Vineam Domini Sabaoth*, qua omnes jansenistarum cavillationes in posterum præclusit. In ea postquam constitutio-
nes Inocentii X et Alexandri VII confirmavit, litterasque Clementis IX et Inocentii XII a falsis jansenistarum interpretationibus vindicavit, doctrinam in relato casu conscientiæ expressam iterum damnavit, declaravitque; » *Obsequioso illo silentio minime satisfieri obedientiæ, quæ præinsertis Constitutionibus debetur; sed damnatum in quinque præfatis propositi-
nibus Jansenii libri sensum, quem illarum verba præseferunt, ut præfertur, ab omnibus Christi fidelibus, ut hæreticum, non ore solum sed et corde rejici et damnari deberi, nec alia mente, animo, aut credulitate supradictæ formulæ subscribi licite posse.* »

Hui c bullæ a Clero Gallicano in comitiis generalibus ac-

ceptatae, et a Curiis Regni in catalogum legum relatæ, moniales Portus regii quarum cænobium præcipua erat refractorum Sedes subscribere recusarunt, quapropter earum monasterium Regis mandato an. 1709 suppressum et destructum est; ipsæ vero per diversa cænobia dispersæ sunt. Cum autem Ludovicus XIV neminem constitutionibus apostolicis aperte refragari ferret, plures jansenianorum coriphæ in Belgium et in Hollandiam transierunt, ubi atrox schisma inter catolicos excitarunt, de quo postea dicemus.

Nunc vero de Paschasio Quesnelio quædam notanda sunt, quo præcipuo factore majores jansenistarum perturbationes evenerunt. Hic oratorio Berulliano ab an. 1657 nomen dederat et cum fidei formulæ in congregationis comitiis contra jansenismum propositæ subscribere detrectasset, ut sibi consuleret, Brusellas se recepit an. 1685, deinde Hollandiam pettit, ubi plura scripsit, quibus liberius rem jansenianam promovere, clerum et populum abstrahendo a debita sedi apostolice et Episcopis obedientia conatus est. Igitur an. 1703 jussu Philippi V Hispaniarum Regis ab Archiepiscopo Mechlinensi carceri addictus est, at paulo post amicorum opera effracto pariete custodia ereptus an. 1719 Amstadolami mortuus est. Hic quidem gravissimis commotionibus ansam dedit libro à se gallicé scripto cui titulus *novum testamentum cum adnotationibus moralibus super quemlibet versum*. Opus primum prodiit an 1671 multisque propter sermonis elegantiam et pietatis speciem placuit. Præ cæteris Cardinalis de Noailles illud populo commendavit, posteaque a se correctum denuo typis mandari curavit, contra vero alii plures Episcopi haud paucas erroneas assertiones jansenismo affines in ipso deprehenderunt, imo Episcopus Vapincensis an. 1703 illud diœcesanis suis prohibuit

Crescente lite Clemens XI conplurium Episcoporum ipsiusque Regis Galliæ querelis et precibus permotus, librum Quesnelli ~~damnavit~~, et ne quis eum légeret aut venderet sub pœna excommunicationis majoris interdixit. Verum hoc non obstante controversiæ magis recruduerunt, pluresque Episcopi cum Cardinali de Noailles Quesnelli defensore acriter decertarunt. Quapropter Pontifex controversiam finire cupiens an. 1713 celebrem Bullam *Unigenitus Dei Filius* edidit, qua unam supra centum propositiones ex illo excerptas tanquam respective falsas, perniciosas, Ecclesiæ ejusque praxi injuriosas, etiam in potestates sæculi contumeliosas, hæresibus et schismati faventes in globo damnavit. Omnes ubique Episcopi Pontificis bullam maxima cum reverentia suscepérunt, sed tamen in Gallia aliqui eidem refragati sunt. Proposuit enim Ludovicus XIV bullam quadraginta et octo Episcopis Parisiis congregatis, eamque quadraginta ex eis incunctanter acceptarunt, sed reliqui octo quorum Dux erat Cardinalis de Noailles contestati sunt, se non posse bullæ subscribere, eoquod plures propositiones damnatae in bonum sensum accipi possent: quibus deinde alii sex Episcopi se adjunxerunt. Horum pertinacia animos novatorum ita extulit, ut constitutionem Pontificiam incredibili audacia perverse interpretari, pravæque doctrinæ et errorum insimulare non erubuerint. Dum Ludovicus XIV de eorum audacia frangenda eum Pontifice agebat an. 1715 mortuus est.

Post hujus obitum adversarii constitutionis *Unigenitus* maiores animos ressumpsérunt. Nam Dux Aurelianensis Regni procurator, vir moribus corruptus et religionis expers, Quesnellianæ factioni vires addidit, relegatis a Ludovico XIV redditum concedens, amplissimoque favore Cardinalem de Noailles prosequens. Tunc lites auctæ sunt. Doctores Sorbonici,

paucis reclamantibus, protestati sunt, se non libere Bullam acceptasse, et deinde illius acceptatione e regestis deleta, mentiti sunt, eam numquam a Facultate fuisse receptam; alii petulantiores in ipsam bullam acerrime invecti sunt, alii novas bullæ declarationes et propositionum explicationes peticierunt; contra Episcopi acceptantes in clericos suos eam reprobantes fortiter animadvertebant. Ad pacem et concordiam restituendam frustra varia media a pluribus adhibita sunt.

Cum Clemens Pontifex Cardinali de Noailles factionis duci minatus esset cardinalitiae dignitatis ademptionem, nisi bullam acceptaret, is in sententia sua constans, respondit se suosque nunquam bullam acceptaturos; cum inter propositiones damnatas plures essent, quæ nullam censuram merebantur. Ex hac declaratione factum est ut plurimi ad futurum concilium generale appellarent, suamque appellationem Romam mitterent. Iis deinde alii undecim Episcopi, Sorbona et Cardinalis ipse de Noailles se adjunxerunt. Pontifex de hoc certior redditus documentum appellationis schismaticum et hæreticum pronuntiavit, et appellantibus terminum præscripsit, intra quem appellationem suam revocarent. Quo elapo, an 1718 litteras officii pastoralis dedit, quibus palam edixit, eos omnes qui præfatæ bullæ omnimodam obedientiam præstare recussaverint, nullam deinceps cum Romana Ecclesia communionem habituros. Tunc universa appellantium factio et senatus Parisiensis iterum a Bulla tamquam ab abusu pontificiae potestatis appellarunt. Graves proinde turbationes in Ecclesiis Galliæ exortæ sunt, cumque Episcopi acceptantes in suos clericos rebelles secundum jus procederent, hi præsidium magistratus civilis implorarunt; et parliamentum diversiis pœnis in Episcopos adnimadvertisserunt. Turbae ita creverunt, ut publica tranquillitas

regni s^epe in periculum vocata fuerit, quare dux Aurelia-nensis appellantes cohibuit. Interim Clemens XI an. 1721 obiit.

Post hujus mortem blandiebantur sibi factiosi fore ut plus favoris causae suae jam desperatæ in ejus successore reperirent: quapropter litteras Inocentio XIII inscribere aussi sunt, quibus Clementis XI memoria proscindebatur, et auctoritatem novi pontificis in sui auxilium vocabant; sed Inocentius XIII anno sequenti litteras vigoris plenas ad Philippum Regentem et Ludovicum XV dedit, quibus refractariorum audaciam merito castigavit, atque coercuit. Benedictus XIII in Lateranensi Sinodo a se an. 1725 habita præcepit, ut constitutio *Unigenitus*, quæ fidei regula appellata est, ab omnibus cum omnimoda obedientia observaretur, et si quem cognovissent Episcopi de tali constitutione mal^e sentire aut loqui in ipsum animadverterent; et insuper omnes libri contra ipsam scripti damnati sunt. Clerus autem Gallicanus in comitiis generalibus non semel regis favorem adversus appellantium turbas expostulavit. Anno vero 1726 Joannes de Soanem Episcopus Sanitiensis, comendato libro Quesnelli, appellantium causam enixe defendit. Adversus hujus audaciam Sinodus provincialis quatuordecim Episcoporum convocata est, ad quam Soanem citatus, ejus competentiam recussavit. Sinodus vero illius pastorali damnata illum ab omni jurisdictione et officio suspendit, et Sanitiensis Ecclesiæ administrationem Vicario generali commendavit. Soanem contra Sinodi sententiam reclamante, duodecim Episcopi pro eo apud Regem intercesserunt, et quinquaginta advocati Parisienses Synodi acta improbarunt, sed Ludovicus XV illius decreta sua auctoritate communivit, et comitum ac Soanem relegavit. Plures Episcopi ipseque Benedic-

tus Pp. sinodi decreta confirmarunt. An. 1728 Cardinalis de Noailles bullam *Unigenitus* demisse acceptavit, quem Sorbona deinde subsecuta est; ac demum Senatus Parisiensis an. 1750 a Rego rogatus bullam denuo inter leges publicas restituit. Jansenistæ causam suam desperatam videntes confitit miraculis populi favorem obtinere studuerunt. Vulgarunt præcipue miracula Francisci Paris diaconi an. 1727 in Cæmenterio Sancti Medardi sepulti, cuius sanctitatem alta tuba canebant. Brevi rumor de morbis illius intercesione curatis, curiositas et pecunia ab hæreticis distributa effecerunt, ut ingens multitudo ad sepulchrum ejus concurreret. Ibi singularia phænomena veniebant; vehementibus scilicet convulsionibus illi qui sepulchro Paris incumbebant, corripiebantur, quæ corpore inde amoto confestim cessabant. Quibus omnibus cum turbæ magnæ excitarentur, an. 1752 aditus ad Cæmenterium Sancti Medardi, jussu Regis, interclusus est. Verum fanatici in domibus privatis easdem fraudes prosecuti sunt, quapropter Rex (1753) tum privatos tum publicos conventus istorum spasticorum seu convulsiones habentium severe interdixit.

Necesse non putamus istorum mirculorum falsitatem ostendere cum de re ab omnibus comperta agatur. Constat enim tum e confessionibus eorum qui miraculose sanati dicebantur, tu me testimoniis medicorum, tum ex assertionibus testium oculatorum et auritorum, ejusmodi miracula nonnisi Jansenistarum fraudes esse, de quibus inter alios legi potest L. La Taste in opere de hoc argumento scripto. Ostendit autem int̄ cæteros, D. Vincentius Gimenez in opere supra citato (*Memorias para la Historia Eclesiastica del siglo XVIII*) conventus horum fanaticorum e perditissima plebe tantum coalesci, atque etiam ridiculos plane

esse, imo in illis falsitatem, sævitiam, turpitudinem et blasphemias locum habere; unde multi a Jansenistis recesserunt.

Turbæ autem in posterum prosecutæ sunt; quamobrem Beaumont Archiepiscopus Parisiensis clerum suum præcepit Sacraenta denegare iis omnibus, qui testimonium confessionis proprii parochi non exhiberent. Jansenistæ parochos apud curias sæculares accusarunt, quamobrem Senatus Parissiensis decretum edidit, quo vetabatur ne cui sacramenta denegarentur, propterea quod testimonium confessionis exhibere aut nomen confessarii sui indicare aut Bullam *Unigenitus* acceptare recusarent. De tanta audacia Episcopi ad Regem conquesti sunt, qui ipsos audiens, Senatui potestam de rebus sacris decernendi ademit, et plures Senatores relegavit, qui tamen postea revocati et audacieores facti, nihil non moliti sunt, donec Archiep. Parisiensem et alios et diœcesibus ejecerunt, vel custodiæ manciparunt. Benedictus XIV litteris ad cleri comitia an. 1756 datis declaravit, notoriis Bullæ *Unigenitus* refractariis Viaticum esse denegandum, quas litteras etiamsi Curiæ acriter detrectaverint, Rex constanter defendit; dissidia tamen in posterum perdurauunt.

Quæ hucusque diximus ex toties memorata H. G. Wouters historia deprompta a nobis sunt. Nunc autem opportunitum esset adversus Febronium et alios Constitutionem *Unigenitus* vindicare, verum hoc præclare inter cæteros fecerunt F. A. Zacharia in *Antifebronio vindicato*, diss. V cap. V, tum etiam auctor operis *Obbiezioni e risposte risguardanti la Costituzione Unigenitus*, ad quos lectorem remittimus. Etenim, ut verbis Turnelii ular, *nihil huic Constitutioni, quantum ad auctoritatem quam oblinet, deesse ostendi facile potest. Summo*

consensu Apostoliceæ Sedi adhæret maxima multitudo Episcoporum, ne uno quidem in exteris regionibus dissentiente. In una Gallia reluctantur numero admodum pauci. Et quidem omnes fere Orbis Episcopi majorque pars Galliæ illam habuerunt, velut dogmaticum hujus sanctæ Sedis et universæ Ecclesiæ decretum, ut loquitur Clemens XIII in Brevi an 1765 ad Leonensem Episcopum sub annulo Piscatoris dato, quod etiam testimonii plurimorum Antistitum Galliæ, si opus esset, ostendi potest.

De schismate Ultrajectino pauca etiam adjicienda sunt, quo etiam Febronius abutitur, ut de prædicta Constitutione detrahatur. Sufficit autem hujus rei notitiam exhibere ut statim appareat, quam injuste Febronius Ultrajectinæ pseudo-Ecclesiæ defensionem sumpserit. Prima schismatis semina jecit Petrus de Codde ab ann. 1686 Archiep. Sebastenus et Vicarius Apostolicus renuntiatus, qui Jansenismo infectus, an 1704 a Clemente XI ob id depositus fuit, quique nihilo minus a populo tamquam verus Episcopus haberinon desiit. Illo mortuo septem Clerici contumaces, qui se canonicos capituli Ultrajectini dicebant, Cornelium Stenoven, invita Sede Apostolica, Vicarium generalem constituerunt, imo deinde eo temeritatis progressi sunt, ut ipsum an. 1725 Archiep. Ultrajecti elegerint, eamque electionem Rom. Pont. significarint, ut illam confirmaret. Cardinalium Collegium, Sede vacante, omnibus Episcopis prohibuit, ne C. Stenoven manus imponerent, verum id facere ausus est Dom. Varlet, episcopus Babilonensis qui tamen excommunicatus et depositus ipse erat. Benedictus XIII Stenoven electionem et consecrationem nullam et sacrilegam declaravit, quo non obstante, schismatici post ejus mortem (1725) Joannem Barchman elegerunt qui ab eodem Varlet consecratus est. Tanta

temeritate Pontifex motus omnes quoscumque in hoc facinore partem habuerunt excommunicavit, illi vero in maiorem pervicaciam prolapsi sunt, et ad utrum concilium appellarunt, Bullam autem *Unigenitus* tenaciter rejiciebant.

Mortuo Barchman in ejus locum suspecti sunt primo Theod. Van-der-Croon, qui an 1759 obiit, et deinde Jo. Meindarts, qui ambo ab eodem Varlet fuerunt consecrati. Uterque pari modo et eorum fautores à RR. Pontificibus Clemente XII et Ben. XIV fuerunt anathemate perculti, sed illi ad suorum predecessorum exemplum ad generale concilium appellarunt. Meindarts post mortem sacrilegi consecratoris J. Varlet, metuens, ne post suum obitum schismatice Ecclesia pastore orbata maneret, propria autoritate Harlemensem et Daventriensem sedes episcopales, dudum extinctas, excitavit, et ad eas duos episcopos ordinavit, quo schisma altiores radices egit. Habuit etiam an 1763 synodum, in qua sententiæ cujusdam Léclerc, fanatici jansenistæ proscriptæ sunt, et plura fuerunt de disciplina innovata. Postea synodi acta Romam missit eorum confirmationem a Pontifice petens, verum Clemens XIII istam sinodum sine legitima auctoritate coactam, nullam et irritam declaravit, ejusque decreta annullavit, insuperque fideles monuit, ne cum hujusmodi hominibus, excommunicatis vitandis, ullam communionem haberent. Schismatici in sua rebellione usque adhuc perseverant, Rom. vero Pontifices, quibus Ultrajectini electionem novorum Episcoporum semper notam faciunt eorum confirmationem petentes, in ipsis excommunicandis prosecuntur.

Post hæc omnia igitur opus non est ingentia mala Ecclesiæ et societati Jansenismo illata singillatim dinumerare,

quæ omnes quidem boni agnoscunt et magnis clamoribus deplorant. Inter gravissimas porro Ecclesiæ calamitates istam hæresim contineri satis superque liquet. (1)

(1) Cf. Wouters, loc. cit.—Vinc. Ximenez—*Memorias para servir á la Hist. Ecl. del sig. XVIII.*—F. Ant. Zaccaria, *Antifebronius*, loc. cit.—Reveur, lib. XLVI et XLVII—Henrion, lib. LXXXV et seq.—Si quis vero Constitutionem *Unigenitus* theologicæ vindicare cupit, legat Fontaine opus—*Constitutio Unigenitus theologicæ propugnata*, oui rem quatuor tomis in folio plenissime absolvit—Delingæ, 1725.

CAPUT XX

De societatibus secretis.

Altera ex gravissimis, quibus Ecclesia et societas hoc sæculo afflictæ sunt, calamitatibus, ea certe fuit, quam societates occultæ suscitarunt. Omnes enim, qui de ipsis egerunt, scriptores, in hoc convenient, scilicet, nihil aliud tales societates intendere, nisi ut omnem religionem revelatam sifieri posset, everterent, regiamque autoritatem destruerent. Unde maxime ipsæ incredulitatem foverunt, atque etiam publica rerum in Gallia conflagratio ipsarum machinationibus principaliter tribuenda est. Precipuae vero harum societatum *Franc-Massones Illuminati*, et *Carbonarii* sunt. Ipsarum adepti terrificis juramentis cooptantur, varios gradus habent, et simbolicis signis verbisque inter se distinguuntur.

Societates in conventus partiales, seu *logias* in singulis civitatibus dividuntur, quorum regimen ad supremum magistrum pertinet, *Magni Orientis* nomine cognitum. Præcipuum earum centrum hodie Parisium est, sed in omnibus fere Nationibns sucursales habent, quibus innumeri fere homines adscripti sunt.

Quamvis difficile sit primam originem harum societatum accurate investigare quæ forte antiquissima est, certum tamen videtur ipsas ex Anglia cum ipso incredulitatis genio manasse. et in Galliam penetrasse, cum dux Aurelianensis publico regimini præcesset. Primam eorum logiam circa an. 1720. Parisiis instituisse dicuntur Lord Dewent-Water et

aliqui Angli, quæ brevi tempore, ut fertur, ultra quingen-
tos fratres numeravit. Postea alii conventus in aliis locis
formati sunt, qui gubernii vigilantiam excitarunt, et quorum
supremus magister fuit primo Dewent-Water deinde d. Har-
novester. An. 1738 apud La Rappée horum cōventus pro-
hibitus fuit, cumque plures obedire recussarent, custodiæ
mancipati sunt, sed hæc in *Massones* severitas eorum pro-
gressus non cohibuit, qui eodem anno duci de Antin digni-
tatem magni magistri contulerunt, quæ dignitas tribus post
annis Comiti de Clermont, regii sanguinis principi, collata
fuit, eo sane fine ut hi perversi cémentatores contra perse-
quitiones auxilium sibi compararent.

Commoti autem plures Principes horum conventuum nu-
mero ac frequentia, per id tempus, illos prohibuerunt. Jam
ab an. 1735 in Hollandia societates secretae proscriptæ sunt,
et deinceps in Helvetia gubernium Bernense, sub gravibus
pœnis, iisdem interesse vetuit. Gubernium Gallicanum eo-
rumden secreta consilia habens suspecta, conventicula de-
nuo proscriptis. Quapropter Clemens XII has societates sub
pœna excommunicationis ipso facto incurriendæ damnavit
Bulla *In eminenti*, an. 1738 data, in qua speciatim reproba-
vit juramentum ab initiatis præstandum, et occulta atque
suscepta initiatorum molimina. Hanc constitutionem Bened
XIV per suam *Providas* confirmavit an. 1751 et denuo illas
societates compescuit, specialiter notando «earum arcana
«mysteria, occultos congressus, suspecta quibusvis bonis consi-
«lia, contraria auctoritati publicæ, a qua in variis terris fue-
«runt interdicta.» Has etiam societates postea Pius VII (1821)
et Leo XII (1825) iterum condemnarunt. Episcopi vero per
universas orbis regiones, populos sibi commissos monere
suis pastoralibus non desierunt, ut sibi ab hisce secretis so-

cietatibus caverent, earumque perversitatem perspicue ostenderunt.

Legendus est autem inter cæteros B. de Henrion, lib. 88 Historiæ Eccl. sæpius citatæ, qui de societatibus occultis tum in antiquitate, tum in media ætate, tum demum in nostris temporibus erudite pertractat: Ostendit quidem cl. scriptor *Franc-massones* ab extincto Templariorum equitum ordine provenire, et cum veteribus Manichæorum sectis maximam affinitatem habere. Cujus argumentationis summa huc referatur, videlicet; harum societatum cum veteribus manichæorum sectis comparatione instituta, maximam inter utrasque similitudinem reperiri; unde infert, veros auctores codicis et mysteriorum massonicorum indubio manichæos esse. Tum etiam ex affinitate rituum, nominum, dogmatum idipsum perspicue pluribus argumentis ostendit, nec non ex ipsis eorum libris, qui his societatibus nomina dederunt, argumenta deducit, unde earum vera indoles et finis deprehendantur, atque de earum gradibus disserit. Finis autem huc tendit, nimirum ut christianismum et reges penitus deleant, ad *æqualitatem et libertatem* generis humani stabilendam, ita ut propriissima earum formula jurejurando ab ipsis ultimò expresa sic possit describi, *Odium in Deum Crucifixum, odium in reges*. Omnes autem norunt quantum in præsentiarum his nominibus, *libertatis et æqualitatis*, perperam intellectis, abusum sit, et abuti possit.

Præterea vero, hoc certò constat illos ipsos homines, impietatis fautores, qui nullam de religione curam habendam asserunt, eisdem societatibus favisse, suaque nomina dedisse, contra verum eos qui christianæ religioni sincera mente addicti sunt, ab illis semper fuisse alienos. Illud etiam prætereundum non est, quod opportune Card. Mathieu mo-

net, quamcumque secretam societatem, hoc ipso quod secreta sit, publicæ societati et tranquillitati adversari. Et quidem si earum scopus bonus et licitus esset, ad quid tanta cura in occulto, misterioque suam existentiam servandi? Ad quid terrificum juramentum servandi arcana, ab initiatis præstandum? Hœc omnia perspicue ostendunt, inquit Receveur, has societas consilium vituperabile celare, quod tantum supremis initiatis patefactum erat. Id ipsum similiter ostendunt oculti congressus, secretæ loquendi formulæ, simbola misteriosa, variaque documenta ex ipsorum sociorum revelationibus, litteris, libellisque collecta. Nec in harum societatum commendationem adduci potest, ipsis plures principes viros fuisse adscriptos; constat enim inter ipsos plures gradus esse, et secretiora consilia nonnisi probatissimis summa prudentia communicari: præterquamquod ex industria cooptarunt magni nominis viros, ut illorum patrocinio tutius celeriusque propositum sibi finem assequerentur.

Francmassones postea cum *Illuminatis* conjuncti sunt. Fuit autem hæc societas anno 1776 ab Adamo Weishaupt juris professore, in Bavaria instituta eo etiam fine ut Christianismum et regimen civile everteret, in quorum locum dictamina rationis et regimen domesticum, quod patriarchale appellabat, ponerentur. Hujus socii summopere solliciti erant, ut viros muneribus publicis fungentes in suam societatem perducerent, munera publica suis fautoribus conferrentur. et libri propagarentur suis consiliis et sententiis faventes. Anno 1784 perniciosa eorum conspiratio a Regimine Bavarico detecta est, et funesta statuta atque consilia intercepta, socii muneribus publicis privati, et nonnulli carceri addicti; Weishaupt vero cum aliis fugit, Anno 1786

Illuminati Legatos Parisios misserunt, ut societates Franc-Massonum sibi conjungerent, quod eó citius effectum est, quo illæ jam tum per incredulos sophistas, qui in illas admissi erant, tum per cæterorum scripta, in eadem consilia descenderint. Quod igitur adversus Franc-Massones dictum est Illuminatis pariter convenit.

Carboniariorum denique societas, velut rivulus ex corruptis fontibus prædictis exoriens, nostris fere temporibus (1845.) in Italia prodiit. Sunt autem tales ejusmodi homines, qui nullo religionis aut moralitatis freno continentur, nec aliud antiquius habent, quam Pontificatus eversionem, imo etiam totius catholicismi ruinam, unam et indivisibilem rempublicam in Italia erigant. Quot autem vulnera istorum machinationes Ecclesiæ inflixerint, luctuosa experientia compierimus, qui oculis nostris vidimus, quid adversus Pium IX præsertim nuperrime egerunt. Omnes enim tumultus et revolutiones a quadraginta retro annis usque adhuc in Italia emergentes, ipsis deberi fatendum est. (1) Et quidem nihil aliud sperandum erat ab illis hominibus, qui huic societati nomina dederunt, inter quos unum Josephum *Mazzini* memorare sufficiat, virum certe, quo acerbiorem hostem hisce temporibus Ecclesia et societas non habuerunt. Hic enim associatione instituta, (*Giovine Italia*) variisque libris editis, impietate refertis, omnia pene dogmata negavit, nihilque omissit, ut adolescentes Italos seduceret, ut reipsa in pluribus obtinuit. Quæ societas res omnes susque deque vertere molita est, Carolo Alberto Sardiniae rege in suas partes per-

(1) Etiam in Hispania recentes revolutiones, et præsertim postrema et maxima 29 Septembris 1868 non in merito societatum occultarum machinationibus tribui debent.

tracto; sed hic in Novariensi prælio an. 1849 ab Imp. Austriæ superatus, regno abdicare coactus fuit, succedente ejus filio Victore Emmanuele II. Verum machinamenta non cessarunt, ut de Pio IX agentes suo loco dicemus.

Bellum acre ab his sectis Sedes Apostolica pertulit, cum exploratum sit potestatem Pontificis temporalem cum exercitio spiritualis arctissime et inseparabiliter conjungi.

Quapropter jure optimo Romani Pontifices omnem sollicitudinem explicuerunt, ut illorum conatus repellerent, eo vel magis quod iniqua ipsorum consilia societati universæ adversarentur. Ex quibus iterum patet, RR. Pontifices, dum Sedis Apostolicæ jura intemerata servare contendunt, simul totius mundi paci et tranquillitati invigilare. Catholici vero ab his sectis et earum consiliis abhorrente toto corde debent, etenim quævis politica opinio cum religione tandem commiscetur, et de hac detrahere intendit. (1)

(1) Cf. de hoc capite Wonters epoch. XI n.º 63 Henrion, lib. LXXXVIII n.º 21 et seq.—Barruel *Memoires pour servir à l' Histoire du Jacobinisme*.—Cardijn, Mathieu, *El poder temporal de los Papas*, & epoch. II period. III cap. III,

CAPUT XXI.

De extinctione Societatis Jesu.

Scripsit Illmus Beaumont Archiep. Parisiensis pereruditam litteram pastoralem, in qua ostendit innumeros abusus a curiis sacerdotalibus in negotio Jesuitarum commisos, Ecclesiæ auctoritatem deprimentes, quæ epistola inter documenta in favorem Jesuitarum à B. de Henrion allata, primum obtinet locum. Scripsit etiam Ludovicus Vevillot de extinctione Jesuitarum opusculum sub titulo *Clement XIII et Clement XIV* in quo horum Pontificum diversam agendi rationem in hoc negotio defendere intendit. Ex utroque probationes hauriemus, tum ut iniquitas processuum in Societatem Jesu deprehendatur, tum ut illorum Pontificum opposita omnino agendi ratio, tamen juxta prudentiæ regulas composita, appareat.

Oportet vero prius aliquam hujus facti notitiam exhibere. Et quidem Jesuitæ ob insignes labores in defensione religionis perfectos, omnibus novatoribus, incredulis, sophistis odio erant, qui proinde ad unum in destructionem Societatis Jesu conspirarunt, ut facilius impium suum contra Ecclesiam certamen perficerent. Quare calumniis in Jesuitas disseminatis, alisque artibus plures principes ad se pertraxerunt, ut religionem hoc validissimo propugnaculo in suis regnis expoliarent. Primumque in Lusitania Marchio de Pombal, regius administer, an. 1758 adversus illos signum per se belli extulit. Hic odio in Societatem actus libellos in publicum disseminandos curavit, in quibus Jesuitæ tum

pessimæ doctrinæ contra bonos mores et potestatem regiam, tum ambitionis, mercaturæ et aliorum criminum accussabantur, tuncque effecit ut illi è provinciis Americæ Lusitaniae subditis expellerentur. Eläpsò aliquo tempore Josephus I rex noctu fuit a Sicario vulneratus, tuncque Pombal conjurationem effinxit, atque hujus facinoris culpam in Jesuitas conjectit. Nihil quidem iniquius hac calumnia exco-gitari potuit, ut ex ipsa rei consideratione Henrion demonstrat (libro XCI, n. 15 et seq.) ipsaque aula Lusitanica serius in litteris publicis professa est; verum ex ea factum est, ut plures Jesuitæ nullo judicio instituto fuerint in carceres conjecti, in quibus plerique perierunt et 7 proceres capitis damnati. Deinde Pombal Jesuitas omnibus scholis expulit, et episcopis imperavit, ut eos sacris functionibus interdicerent, quod ipsi misera debilitate effecerunt, et demum an. 1759 edictum publicatum est, quo Jesuitæ ceu proditores, seditiosi, inimici regis et aliorum criminum rei e regno relegabantur, et eorum bona fisco addicebantur. Vi hujus edicti omnes Jesuitæ maxima crudelitate vexati in territorium pontificium navibus deportati sunt, atque ibi omni subsidio destituti, inhumane relictii.

Exemplum Pombal in Lusitania, brevi dux de Choiseul minister Ludov. XV in Gallia imitatus est. Nam ibi curia Parisiensis, quæ è sophistis Societati Jesu æque infensis constabat, occasione processus P. Lavalette, in Martinica S. J. procuratoris, universos Jesuitas in solidum condemnavit, eorumque Constitutiones oppositas auctoritati Ecclesiæ et regiminis civilis pronuntiavit. Deinde plura Jesuitarum scripta, ceu doctrinas seditiosas continentia, per manum carnifícis comburi jussit. Nihil vero est injustius quam ob culpam unius universam Societatem condemnare.

Ludov. XV Curiæ actis sæpius se opposuit, at dux de Choiseul et Domina de Pompaduor Senatores clam excitant ne cæptis desisterent. Convenerunt autem jussu regis an. 1761 præsules Galli numero 51 ut de his quatuor capitibus sententiam ferrent, «An Jesuitarum institutum in Gallia utile esset, et an damna quæque ex eo forent metuenda? Que esset ipsorum doctrina sive theoretica sive practica? Quæ eorum agendi ratio erga Episcopos, et an aliorum jura usurparent? An et quæ reformatio Instituto conveniret? Cum Episcopi in favorem Jesuitarum respondissent, Rex mense Martio edictum dedit, quo eorum Institutum in Gallia conservabatur, etsi in aliquibus reformatum, verum Curia Parisiensis, destructionem Societatis expetens, regis edictum recipere noluit, ipseque rex à duce de Choiseul excitatus illud brevi post revocavit. Curia ergo omnia Jesuitarum collegia claudi jussit, et non obstantibus Cleri Gallicani supplicationibus, et Clementis XIII iteratis litteris, postridie Nonas Augusti 1762, eorum Institutum abolevit et bona confiscavit, exilio proposito iis qui huic decreto assensum non jurassent, cuius audaciam plures provinciales Curiæ secutæ sunt.

Clemens XIII his auditis, quæcumque à Curiis in Jesuitas acta fuerunt irrita et nullius valoris declaravit. Similes plures Episcopi Galli fecerunt, et præ aliis de Beaumont, Archiep. Paris, celeberrimam instructionem pastoralem edidit quæ est Societatis apologia. Curia vero Parisiensis ab irato procedens hanc pastoralem per carnificem cremari jussit, et proterea præscripsit ut Jesuitæ vel institutum abjurarent vel regno exirent; et postea Rex consilio ducis de Choiseul Societatis suppressionem firmavit. (1764.) Tunc Pontifex fortitudine utendum esse ratus, litteris etiam Episcoporum ex

omnibus orbis partibus motus, incipiente an. 1765, Bullam *Apostolicum* dedit, qua Institutum S. J. à calumniis adversariorum alienum pronuntiavit, illud que de novo confirmavit. Sed aulæ Lusitana et Gallica noluerunt hanc Bullam recipere.

Prœfatis Jesuitarum hostibus alter magis implacabilis se adjunxit, Carolus III Hispaniæ Rex. Ignoratur quidem causa ob quam adversus Jesuitas tanta sævitia processit, sed illud certum est, scilicet; die 27 Februarii 1767 regem ad omnes Gubernatores et præfectos regni litteras dedisse propria manu scriptas, et eadem hora aperiendas, quibus sub pæna mortis præcipiebatur, ut stata die omnes Jesuitæ interciperentur et in oras regionis Pontificiæ deportarentur. Edictum magna cum barbarie executioni demandatum est, nam una eademque nocte (2 Aprilis) omnia domicilia Jesuitarum, nihil suspicantium, à militibus occupata sunt, bona eorum confiscata, iique sine discriminé, senes, infirmi, veredis ad littora maris ducti, et ad territorium Pontificium navibus transvecti sunt. Pontifex dolore oppressus omni modo regem à hac iniqua via reducere conatus est, sed hic petulantibus litteris respondit. Illius autem immanis agendi ratio, inquit Vevillot, universum orbem commovit, eò magis quod ille *in suo regali corde* motiva talis actus celare decrevit.

De quo apposite Voltaire ad D. Alembert scribebat. *Quid dicis de rege Hispaniæ, qui adeo violente ejicit Jesuitas? Si ille habuit ad hoc bonas rationes, nonne debuit illas expōnere potius quam servare intra suum regale cor? Nonne debuit Jesuitis permittere se defendere? Non credis rem tam rationabilem debuisse meliori ratione fieri?*

De causa ob quam Carolus III Jesuitas expulerit, plures suppositiones factæ sunt, sed adhuc incognita remanet.

Illud est certum, consiliis comitis de Aranda, primarii ministri, hominis impii, qui sophistis hujus ætatis maxima familiaritate utebatur, regem ad illam determinationem venisse. Nam seditione populari excitata, confestim Aranda Jesuitas tamquam illius auctores ad regem detulit, epistolasque sub eorum nomine confixit regi injuriosas, quare hic eorum expulsionem decrevit. Juxta alios Aranda Carolum III persuasit, Jesuitas de honore matris regis detrahere, atque illum tamquam filium illegitimum accusare, ac proinde regno expoliare ipsos contendere. Nec desunt qui dicant Carolum III cogitasse, ad exemplum Henrici VIII Angliæ, schisma in Hispania perficere, ad quod præcipuum obstaculum erant Jesuitæ. Quidquid vero sit nullum majorem hostem Carolo III in posterum Jesuitæ habuerunt, à quo iniquissima et maxima injustitia persecuti sunt. Ipse etiam filium suum Ferdinandum IV utriusque Siciliæ regem, et fratrem suum Ferdinandum Ducem Parmensem, et magnum magistrum equitum Melitensium excitavit, ut Jesuitas è terris suis ejicerent, quod reipsa eodem an. 1767 factum est.

His vero Borbones non contenti omni via Pontificem flectere studuerunt, ut illorum Institutum abrogaretur, sed Clemens XIII eorum consiliis et minis fortiter restitit, imo etiam nihil omissit ut Jesuitas defenderet, donec mortuus est. (1769.) Opportunum hic esset artes et machinationes principum in conclavi ad designandum successorem Clementi XIII referre. Cardinaliumque dissensiones; sed hoc nimis longum et difficile est. Sufficit significare ipsos omni modo, etiam vi adhibita, Papam suis consiliis faventem, creari conatos esse, absque ullo respectu ad regulas conclavis et libertatem Ecclesiæ, nam plures Cardinales Jesuitis faventes con-

clavi interesse prohibuerunt, aliaque plura contra canones adhibuerunt. Immo etiam, ut fertur, proposuit aliquis tiaram pretio donare, sed potentiae hoc infame consilium reje-
cerunt. Electus fuit autem praeter communem expectatio-
nem Card. Ganganelli (19 Maji 1769) qui Clementis XIV no-
men assumpsit. Hunc aulae Borbonicae omni via, precibus,
promissis, comminationibus ad suppressam S. J. com-
pellere studuerunt, qui quatuor annorum spatio restitit, sed
tamen postea ad majora vitanda mala cedere coactus fuit.
Itaque die 21 Julii an. 1773 Breve dedit Dominus ac Redemp-
tor, quo Societatem Jesu, quæ hoc tempore ultra 20,000 so-
cios habebat, suppressam extinctamque declaravit. Dum
eorum hostes triumphum cecinebant, Jesuitæ magno obe-
dientiæ exemplo se Pontificis sententiæ submisserunt. Quod
autem mirum est, duo principes acatholici, Fridericus II Rex
Prusiæ et Catharina II Imperatrix Russiæ, suppressioni Je-
suitarum contradixerunt, et in suis ditionibus eos conser-
varunt.

Quam injustum esset odium ab aulis Borbonicis in Jesui-
tas conceptum, per se patet. Etenim Societas nihil a primæ-
va Institutione defecerat, nec ullo reformatione indigebat,
quare optime potuit P. Rieci, Praepositus Generalis respon-
dere. *Jesuitæ aut sint ut sunt, aut plane non sint.* Deinde nu-
plus eorum alicujus criminis convinci potuit, etsi id proba-
re maxime hostes conati fuerint. Quantum vero ad Parla-
menta attinet, quæ Constitutiones ipsas *Societatis* velut se-
ditiosas et corruptioni fovendæ aptas condemnarunt, doc-
trinasque Jesuitarum dixerunt vitæ principum et civium
periculosas, et ethices christianæ destructivas, optime Illm.
de Beaumont in citata pastorali respondet. Ostendit quidem
eruditus et pius Præsul eorum Institutum optimum esse, a

Summis Pontificibus approbatum et laudatum, a Sanctis quamplurimis et doctoribus commendatum, et ab ipsis Regibus et Curiis favore prosequutum; deindeque objectiones singillatim diluit, speciatim eas mysterii et mutuae delationis, atque in secunda parte Jesuitarum vota perspicue exponit et defendit, ita ut ex. gr. obedientia ab ipsis jurata ita cæca sit, ut tantum de rebus licitis intelligatur. De doctrina vero ipsorum, testimonis quamplurimis citatis et comparatis, demonstrat in tertia parte, adversarios impudenter ea fædasse et corrupisse, ut Jesuitas inculparent, atque etiam censores incompetentes esse, et insuper nimia præcipitatio ne et partialitate processisse, ut alia præteream. Ac demum in quarta parte exponere pergit innumera bona a Jesuitis Ecclesiæ præstita, ut exinde injustitia appareat illius decreti Curiarum, quo concionare prohibiti sunt. Denique dubitare nou possumus Jesuitas habuisse hoc tempore sicut et ab initio pietatem exemplarem, integros mores, doctrinam sanam, miram eruditionem, indefessos labores; palmasque innumeratas ipsos reportasse in omnibus ministerii apostolicii laboribus, publicaque juventutis institutione.

Quapropter mirum non est, Clementem XIII omni via principum machinationibus contra S. J. restitisse, noverat enim Pontifex ipsam merito solidissimam Ecclesiæ columnam dici debere. Ipsum præterea non latebat, quo fine Jesuitarum hostes istorum suppressionem peterent, nimirum ut Ecclesiam hoc validissimo propugnaculo expoliarent. Acceperat etiam ab omnibus fere orbis Episcopis litteras, quibus continebatur in isto negotio de causa religionis agi. Judicabat igitur sui muneris partes requirere Jesitarum causam fortiter defendere. Nihil ergo omissit ut hoc præstaret. litteris ad regem Lusitanæ et ad ipsum de Pombal

scriptis, patienterque Nuntii expulsionem ferens: sicut etiam postea fecit apud Lud. XV et Carolum III. Undecumque vero simul impetus, inquit Vevillot, invincibilis patientia mansuetudine, fortitudine, omnia pericula superavit, et numquam destitit vocem suam, sive precando, sive reprehendendo, sive puniendo, ad impediendam iniquitatem, extollere. Omnibus autem conciliationis mediis frustra tentatis, Clemens XIII debuit; ut ipse ad Cardin. Gallos scribit, Ecclesiam vindicare. «Nec solum Ecclesiam, sed etiam libertatem conscientiae christianae, prosequitur Vevillot. *Quid enim esset de mundo si potestates saeculares possent decernere, talem vivendi rationem esse sanctam, talem vero non esse?... Et quidem omnes Pontifices idem fecissent.*»

Non tamen haec sic intelligenda sunt, quasi Clemens XIV jure reprehendi possit, qui oppositam omnino agendi rationem sequutus est, cum S. J. suppressit. Uterque enim Pontifex sub suo respectu juxta prudentiae regulas se gessit; sicut enim Clemens XIII debuerat Ecclesiae jura et libertatem defendere, ita etiam, mutatis adjunctis, debuit Clemens XIV ad ejusdem Ecclesiae pacem et unitatem servandam aliqua concedere, quae in alio casu non concessisset. Etenim aulæ borbonicæ incredibili conatu destructionem S. J. expetabant, nihilque non moliebantur, ut Pontificem ad hoc ipsis concedendum cogerent. Clemens XIV integro quadriennio earum precibus, minis, artibus restitit, sed «processu temporis ita res inestricabilis et periculosa evasit, ut quilibet rectus et pius posset de transactione cogitare, qnam antea rejeccisset.» Erat autem Clemens XIV bouns et sapiens sed hæsiens et timidus, qnare principes majori vi hoc negotium urgebant, quod etiam Ambasatores præceptum habebant. Ex quibus Cardin. Bernis a Choiseul litteras accepit, quod nisi

intra duos menses Pontifex abolitionem S. J. firmasset, *omnem cum eo communicationem* principes domus borbonice intercepturi essent. Cum autem Pontifex quædam adversus Jesuitas decrevisset, eo tantum fine, ut Borbonum iram aliquatenus sedaret, Ambasciator Hispaniæ dixisse fertur; *Inutile est hanc miseram gentem affligere; unum tantum verbum sufficit; ABOLITIO.*

His tamen angustiis Pontifex pressus, inquit M. de Saint Priest, omnia frustra tentavit, ut sibi Borbones conciliaret, quin eorum vindictam adversus Jesuitas ipse expleret. Illi vero principes admodum obstinati erant, et in schisma parati, patriarchis nationalibus jam designatis. Non debuit igitur Pontifex tetri schismatis periculo Ecclesiam objicere, aut illorum iram provocare, a quibus mala multigena Ecclesiæ et Europæ universæ, oppositione ipsis facta, timeri debebant; eo magis quod ejus resistentia nihil jam Jesuitis profecisset. Itaque doloribus et angore plenus, minis, vi, calumniis, promissis, per Reges, Ambasciatores, nonnullosque Cardinales circumventus, frequenter dicere solebat; *Hoc negotium erit mihi causa mortis:* tandemque resistere impotens Breve suppressionis S. J. die 13 Julii 1773 dedit. Pontifex nihil aliud potuit facere, etenim prudentiae est, inter duo imminentia mala, minus eligere. Qui hunc Pontificem accusant, respondent sincere, quid aliud ipsi in eodem casu fecissent. Quod quidem probe noverat Stus Ligorius, qui suppressionem audiens, exclamavit, *Povero Papa! che poteva fare?* ipseque Clemens XIV frequenter inter lachrimas ingemiscebatur; *Compulsus feci, Compulsus feci,* donec anno sequenti dolori succubuit.

Post ejus obitum rumor percrebuit Pontificem fuisse veneno sublatum, sed hæc apertissima calumnia est, ut ex testimonio jurato ipsius P. Marzoni, cuius auctoritate accusa-

tores nituntur, perspicue liquet, a D. Salicetti medico et ab alio medico a Camera confirmato, qui cadaveris *autopsiam* effecerunt. (Henrion lib XCIV n.^o 55 et seq.)

Mutatis vero temporum adjunctis, mortuisque acerrimis Jesuitarum hostibus, Pontifex Pius VII Societatem Jesu iterum restituit in Russia, an. 1801 in regno Neapolitano 1804 et demum in universo orbe, solemni constitutione, die 7 Augusti 1814. Unus Pontifex S. J, pro Ecclesiæ tranquillitate suppressit, alter pro ejusdem Ecclesiæ bono eamdem restituit, Jesuitæ ejecti fuerunt e Gallia, Lusitania, Hispania, Neapoli, ut seditiosi et cujuscumque auctoritatis hostes, sed ut ait protestans Muller, «brevi compertum est omnis auctoritatis commune propugnaculum cum ipsis cecidisse.» Quapropter quævis auctoritas ipsorum restitutionis necessitatem sentiebat. Sicque veritatæ et justitiae testimonium redditum est.

«Nos vero, inquit Vevillot, nec Clementem XIII accusamus eō quod multum restiterit, nec Clementem XIV eō quod multum concesserit. Uterque enim sincero boni desiderio in diversis adjunctis se gesserunt. Debuit Clemens XIII prælium committere; debuit vero Clemens XIV pacta signare, filios que suos pro pace obsides tradere. Si quis unum aut alterum istorum Pontificum ob id in vitauprationem adducat, pari modo posset omnes Pontificum actus, omnes oppositiones, omnesque concessiones reprehendere,» Verum hi Pontifices, ut defendantur, *non indigent nisi veritate.*»

CAPUT XXII.

De Galliarum revolutione.

Inter mœstissima Ecclesiæ et societatis universæ fata, Gallicam revolutionem numerari debere, perspicuum est. Brevisiter nunc, H. G. Wouters duce, illam magnam tragædiam narrabimus, quæ velut virga furoris Domini, propter populorum et principum peccata excitata, universam excussum Europam, tantamque tempestatem excitavit, ut sævior post hominum memoriam vix nota sit. Nec aliud quidem ex causis, que illam foverunt, provenire poterat; impia nempe philosophia, quæ omnem religionis spiritum in animis corrupit, omniaque ordinis civilis fundamenta subvertit, societatum occultarum indefessa molimina, reipublicæque status perversissima administratione innumerisque abusibus misere collapsus. Ex quibus factum est ut omnia in regno fuerint atrociter concussa, et religio quaquaversum proscripta. Tali enim furore in Ecclesiam fuit actum, ut non modo sacros ministros ad interneccionem usque persequi, Ordines religiosos supprimere, sacraque bona confiscare sufficiens fuerit, sed insuper dies festi fuerint abrogati, verique Numinis cultus abolitus, altaria eversa, templaque 40,000 et amplius destructa; immo vero eò dementiæ et perversitatis perventum est, ut ipsum nostræ redemptionis adorabile signum ubique fuerit confractum et dejectum.

Itaque cupiens Ludovicus XVI rex Galliæ, Nationis ingentibus malis mederi, *generales regni status seu comitia Versaliis congregavit* an. 1789, eo præcipue fine ut publicæ æconomiae rationes componerentur. Jam in electione Deputato-

rum magni fuerunt per provincias conflictus excitati, electique sunt homines perversis principiis imbuti, unde horum comitiorum noxios effectus prudentiores quique prædicebant.

Et quidem brevi tertii Ordinis delegati, qui numerosiores erant, effecerunt ut comitia in Congregationem nationalem converterentur, posteaque decreverunt summum jus esse apud nationem cuius nomine se congregatos dicebant. Qui deinde suis orationibus ita animos incenderunt, ut seditione populari excitata, ipsum Ludov. XVI Versaliis captum Parisios adduxerint, quò etiam postea congregatio nationalis se transtulit. Tunc probi deputati discesserunt, sed reliqui initia decreta contra regiam auctoritatem et contra religionem ediderunt, cultuum libertatem sanxerunt, bona Ecclesiastica confiscarunt, religiososque Ordines suppresserunt. Anno sequenti (1790) ulterius progressi quadraginta sedes episcopales sustulerunt, reliquasque independentes a quacumque auctoritate extranea declararunt, cathedralibus etiam in parœcias commutatis; tum electio Episcoporum et parochorum populo commissa est, quorum confirmatio a metropolita petti debebat, tantumque electis concedebatur Epistolam ad Pontificem mittere, qua eorum communio cum Sede Apostolica constaret. Hæc decreta *Constitutio civilis Cleri* ab omnibus sacris ministris jure jurando acceptari debebant, nisi vellent suis muneribus, juribusque civilibus privari, sed in tota Gallia tantum quatuor episcopi, inter quos Talleirand, et pauci presbiteri eis adhæserunt; rex vero, licet invitus, Constitutionem Cleri approbavit.

Tunc episcopi et parochi *non jurati* è sedibus suis ejecti sunt, et in eorum locum alii, *constitutionalis*, secundum præscriptas in nova Constitutione formas suffecti, quos Ta-

Ileirand consecrare ausus est: atque ita, ejectis ubique legitimis pastoribus, dominicum gregem lupi invaserunt. His auditis Pius Pp. VI, post varia media frustra tentata, tandem **13 Aprilis 1791** litteras ad universum clerum et populum Galliarum dedit, in quibus novam Constitutionem declaravit, *ex principiis coalescere ab hæresi profectis, adeoque in pluribus decretis hæreticam esse et catholico dogmati adversantem, in aliis vero schismaticam, sacrilegam... non alio denique consilio excogitata atque vulgatam, nisi ad catholicam Religionem prorsus abolendam.* Constitutionales etiam declaravit omni Ecclesiastica et spirituali jurisdictione privatos et ab omni Ordinis exercitio suspensos, mandavitque omnibus, ut jumentum intra 40 dies retractarent; sed tamen major constitutionalium pars in schismate perstiterunt. Deinde multi ex his, terroris tempore, sacra abjicientes, Religionem abjurarunt, conjugaque contraxerunt. Hæc vero Constitutional Ecclesia, per probrosas metamorphosis acta, usque ad concordatum inter Sedem Apostolicam et Gubernium Francicum an. 1801 celebratum, perduravit.

Interim luctuosissima anarchia Gallia agebatur, nam mense Octobris 1792 congregationi legislativæ successit *Conventus nationalis*, qui regia potestate abolita, rempublicam proclamavit, et Ludovicum XVI die 21 Januarii 1793 capite plexit. Regina etiam mense Octobris ejusdem anni eamdem sortem subiit. Tunc sanguinolenta factio *Terroristarum* erupit, quæ regiam familiam, nobiles, et sacros ministros insaciabili odio persecuta est, ex quibus plurimi atrocissima crudelitate, quæ ab ipsis populis barbaris longe abest, necati fuerunt. Deinde maxima perfidia cum his qui latebant usum est; nam licentia emigrandi clericis promissa, eos qui hac spe è latetris exierunt, iniquissime capitis damna-

runt. Igitur sacerdotibus necatis, vel captis, vel exilibus, jussu *Conventionis* an. 1793 religio penitus proscripta est, ita ut ipsis clericis constitutionalibus imperatum sit, ut religionem abjurarent, populumque hactenus à se deceptum fuisse confiterentur. Tunc tempa fuerunt direpta, vasa et vestimenta sacra turpiter profanata et inquinata, omniaque cultus objecta in rogum missa, adeo ut omnium animi *furore impietatis* agi viderentur. Utque ipsa Religionis christianæ memoria, si fieri posset, deleretur, jussu *Conventionis* æra christiana abolita fuit, dieique dominicæ celebratio severe prohibita. Christianæ vero religioni substitutus est cultus *Rationis*, per statuam vel mulierem prostitutam repræsentatæ. Quinimo Parisiis comedæ quædam, infamis meretrix, in splendido curru, Crucifixo pedibus ejus substrato, per urbis frequentiora loca in Cathedram ducta, tamquam *Rationis*, unici Gallorum numinis, symbolum in altare posita fuit, et in ejus honorem thus concrematum, hymnique decantati. Mitto dicere innumeras cædes, crudelitates, spoliationes, flamas ubique perpetratas, ita ut universa Gallia sanguine et horroribus scateret; siquidem hæc ad profanos scriptores attinent et omnibus nota sunt. Gallorum acta omnium animos in universa Europa commoverunt, quare principes fædus inter se contra Galliam inierunt. In ipsa Gallia bellum etiam Vendéense ardebat, quod illi rustici magna fortitudine et ardore pro religione et rege agebant. Qui homines pro rebus tam sacris strenue dimicantes, heroes denominari meruerunt, felicique morte functi sunt. De hoc vero et aliis hujus revolutionis fatis, viva voce in aula loquemur.

Tandem 27 Julii 1794 sævus Robespierre, Terroristarum coriphæus, securi qua antea tot capita abstulerat, percussus

interiit, et cum eo plures crudelitatis ejus complices. Tunc novum regimen institutum est, (*Directorium*) cum duabus cameris, quarum una *quingentorum*, altera *seniorum* dicta est, et quædam ordinis species apparuit, quæ tamen brevi perduravit. Nam ab utraque camera decretum editum est, quo liberum religionis exercitium, sacerdotum in carceribus gementium libertas, deportatorumque revocatio sanciebantur, legesque pænales contra *non juratos* revocabantur. Sed *Directorium* decretum utriusque cameræ rejicit novumque juramentum, odii in regiam majestatem præscripsit, in sacerdotes recusantes acris fuit persecutio instaurata. Hic rerum status ad finem usque 1799 perduravit, quo Bonaparte bellidux, ex Egipto redux, *Directorium*, quod jam intus ad diram tyrannidem, foris ad commune odium et despectum erat collapsum, evertit, regimenque consulaire constituit, cuius ipse primus Consul declaratus est. Deinde plura iniqua *Directorii* decreta abrogavit, et ecclesiasticis viris tantum fidei professionem novæ constitutioni imperavit.

Quoniam in præsentiarum in nostra Hispania simile aliquid, jurisjurandi occasione clericis impositi, evenire potest, juverit breviter exponere quid tunc à Sede Apostolica decissum est. Prædictum juramentum odii magnam scissionem in clero excitavit, aliis illud tamquam sacrilegum facinus detestantibus, aliis illud salva conscientia emitti posse contendentibus. Priusquam Pius VI Pontifex sententiam suam tulisset, per vim à Gallis à Sede sua avulsus, ut postea dicemus, captivus a Gallis abductus est; sed jam in Hetruriam profecturus, communī Cong. Cardinalium judicio cognito, istud nempe juramentum divinæ legi repugnare, edixit illud esse prorsus illicitum, eosque, qui illud emise-

rant, ad retractationem teneri; ad quod omne Isauriensem Episcopum specialiter delegavit. Idem Pontifex cum audisset professoribus R. Univ. præfatum juramentum fuisse imperatum, sub initio an. 1799 litteras ad Octavium Boni Ep. Nazianzenum dedit, cui ob oculos posuit decisionem ante à se prolatam, addiditque solum admitti posse hanc formulam: «Ego N. juro me partem non habiturum in qua-
«cumque conjuratione pro restituenda monarchia, et contra
«rempublicam quæ nunc imperat; odium anarchiæ fidelita-
«tem atque adhæsionem reipublicæ, et constitutioni, *salva*
«*de cætero religione catholica.*» Verum professores juramen-
tum odii cum verbali declaratione præstiterunt, quod Archiep Nazianz. probavit, quapropter Pius VI, alia epistola data, juramentum pure et simpliciter, quamvis cum verba-
li declaratione factum, reprobavit, et Archiepiscopum ad revocandam suam approbationem, et ad publicandum S. Sedis de præsenti negotio judicium, coegit. Quæ omnia cle-
ri Hispani agendi rationem, dato casu, gubernare debent.

Tandem Ecclesiæ Gallicanæ calamitates, concordato inter R. Pontificem et Rempublicam an. 1801 inito, aliquatenus sedatae sunt, cultu catholico restituto de quo postea dice-
mus. Interim sufficit levis, quam fecimus, istius revolutio-
nis expositio, ut constet illam esse *radicaliter pravam*, ut co-
mes de Maistre loquitur, summumque corruptionis et im-
pietatis apicem. Ex hac etiam immanni et atrocissima in Ec-
clesiam persequutione, validissimum argumentum pro ip-
sius indefectibilitate ostendenda erui potest: etenim num-
quam sententia illa Christi verior appetit: *Et portæ inferi*
non prævalebunt adversus eam. Cum enim jam impii trium-
phos agerent, et ruinam Ecclesiæ lætabundi occinerent, *im-
peravit Dominus mari et ventis, et facta est tranquillitas magna,*

CAPUT XXIII.

De RR. Pontificibus sœc. XVIII.

Oportet, ut uberior hujus sæculi conspectus habeatur, aliquam RR. Pontificum notitiam recensere, qui semper Ecclesiasticam historiam suis gestis exornant. Ex qua iterum patet, divino prorsus auxilio Ecclesiam gubernari, cum alter evenire non posset, ut homines præclaris adeo dotibus ornati, Pontificatum semper adepti sint.

Post Innoc. XII rara Cardinalium concordia, die 24 Novembris 1700, electus est Card. Jo. Franc. Albani, qui sub nomine *Clementis XI* Sedem tenuit usque ad an. 1721. Eximia scientia, prudentia, pietate, aliisque virtutibus præditus, quales Ecclesiæ status postulabat, propter tot bellorum strepitus, quibus Europa agitabatur, innumeris fere curis quibus fuit implicatus occurrere potuit. Præter ea, quæ jam diximus a Clemente XI gesta in causa jansenistarum, in controversia de ritibus Sinensibus, et in bello successionis in Hisp. regno, celebris est etiam sub ejus Pontificatu de *monarchia Sicula* contentio. Etenim Siciliæ reges, vi privilegii ab Urbano II circa an. 1091 Rogerio comiti concessi, contendebant habere se eadem jura et potestatem, quæ sunt Legatorum a latere. Hæc præsumpta legatio tribunal efformabat, quod sibi arrogabat jus causas et personas ecclesiasticas judicandi et puniendi, laicos excommunicandi et absolvendi, aliaque non minus clero et Episcopis Siculis, quam Apostolicæ Sedi, injuriosa. Anno igitur 1711 Lipariensis Epis-

copus, propter violatam immunitatem ecclesiasticam quos-dam officiales excomunicavit, qui a regiis ministris, prætex-tu *Monarchiæ Siculæ*, absoluti sunt. Clemens XI de hoc certior factus, ministrorum absolutionem nullam declaravit, sed isti in sententia sua pertinaces, carcere aliisque modis in clericos Liparienses sævierunt, qui excommunicatos ad sacra admittere nolebant: quare Pontifex illos anathemate mulcetavit, ministri vero regii minime flexi, Episcopos qui Pontifici parebant carcere aut exilio affecerunt. Tune Cle-mens eorum audaciam compescere volens, mense Februario 1715, præsumptam monarchiam Siculam ejusque tribunal, data Bulla (*Romanus Pontifex*) abolevit, a qua tamen regii fisci procurator appellavit. Tandem hoc longum diissidium Philippus V, Siciliæ potitus, an. 1718, juxta Pontificis vota cum eo composuit. Deinde Benedictus XIII (1728) Apostoli-cam Legationem in Sicilia Carolo VI Imperatori restituit, præcisis abusibus, propter quos a Clemente XI fuerat abo-lita. Novissime vero Gregorius XVI et Pius IX, ad novos coercendos abusus, facultates *tribunalis monarchiæ* suis Constitutionibus præfinierunt.

Magno quidem zelo in hac controversia Clemens XI Eccle-siæ libertatem defendit. Habebat etiam validissimas ita pro-cedendi rationes. Etenim Baronius et plures eruditæ viri, multis animadversionibus diploma Urbani II, Rogerio da-tum, suspectum reddiderunt, eò quod usque ad an. 1513, quo primus omnium J. L. Barberius illud in lucem prodiit, nullus scriptor illius meminisset. Deinde admissa ejus au-thentia, ostenderunt illud tantum concessum fuisse Rogerio Comiti ejusque hæredibus, ac proinde cessasse, cum Siciliæ regnum ad aliam familiam transiit. Præterea diploma illud nullum vestigium dicendi juris sacri et ecclesiastici præse-

ferre, sed eas tantum partes, quæ sunt principii Ecclesiæ filii Rogerio demandare, ut pro sua in Ecclesiam reverentia Apostolicorum jussorum executionem curaret. Demum post Urbani II etiam ætatem præcipuas R. Eccæ, legationes in Sicilia a viris sacris suisse peractas, et Siculos, more consueto, ad Apost. Sedem appellationes instituisse.

Alia item plura et insignia Clemens XI fecit, propter quæ nomen adeo celebre acquisivit, ut vel ipsi heterodoxi Norimbergenses in ejus honorem nummos cuserint; Baxá autem Ægypti non semel dixerit, se nihil aliud ad gloriam Corani optare, nisi Pontificem Clementi similem Hujus Pontificis, ab omnibus, solis Jansenistis exceptis, communi præconio celebrati, elogium apud Henrion (lib. LXXXVI n. 20) videri potest, et melius adhuc apud P. F. Laffitau, qui *Histoire de Clement XI* accuratissime scripsit.

Innocentius XIII, ejus successor brevi tempore multa perfecit, et subditorum amorem et gratitudinem meruit. De quo Comes de Albon et Lalande affirmant, fuisse illum optimum illius ætatis principem, habuisseque magnas virtutes, dotesque gubernii, quas tamen morte præemptus evolvere non potuit. Disciplinam ecclesiasticam in Hispania composuit constitutione *Apostolici ministerii* appellantiumque factiones in Gallia repressit. Obiit 7 Martii 1724.

Electus post illius obitum Cardin. Orsini, nomine *Benedicti XIII*, omnia solliciti Pontificis officia amplissime explevit. Zelo disciplinæ Ecclesiastice Synodum an 1725 in æde Lateranensi habuit, in qua plura ad optimum Ecclesiæ regimen statuta sunt. Graves contentiones habuit cum duce Sandiæ, qui contra morem sibi jus asseruit episcopatus et alia beneficia conferendi; atque etiam cum Joanne V Lusitanæ rege, qui Nuntium Vinc. Bichi purpura decorari conten-

debat, quod jam superiores Pontifices negaverant. Contra utrumque Benedictus XIII fortiter Sedis Apostolicæ independentiam defendit. Pontifex fuit bonus, humilis, in pauperes misericors, cui tantum objicitur, quod Card. Cosciam favore prosequutus fuerit, quo ipse abutens populum valde oppresit: verum id aperte contra mentem Benedicti erat.

Mortuo Bened. an. 1750 successit Clemens XII, Cardin ex illustri Corsinorum familia, cui ob optimam administracionem grata civitas statuam æneam in Capitolio erexit. Praecedentis Pontificatus abusus energice compescuit, et in pravos ministros Cosciam et alios animadvertisit. Contentiones cum rege Lusitaniæ composuit, verum cum rege Sardiniae aceriores, quam decessor, simultates habuit, eo quod conventionem inter Pontificem et regem celebratam ipse de consilio Cardinalium, resciderit, cum consueta solemnia in ea fuisserent prætermissa, et Bened XIII non bene informatus ad eam ineundam accesserit. Lutheranis, ut ad Ecclesiæ communionem redirent, bona Ecclesiastica retinere permisit, atque ita plurimi in Saxonia et Palatinatu errores abjurarunt. Multa ad Urbis ornatum et commodum dispôsuit, monumenta, fontes, vias, collegia, in quibus insignes daudes adeptus est. Societas occultas damnavit, missiones fovit, jansenistarum fallacias repressit, populos optime rexit, tributa laxavit, atque meritis pro Ecclesia plenus, in omnes denique mortales beneficentissimus, debitum naturæ persolvit, an. 1740.

Sedit postea immortalis *Benedictus XIV*, antea Card. Prosper Lambertini, cuius laudes ipsi protestantes cecinere, inter quos Matheus Pfaffius doctrinæ præstantiam admiratus, eum uti talem virum celebrat, *quod per multa secula non seddit eruditior alter*. Singulis sui Pontificatus annis sollemnem

Bullam edidit, tum ad coercendos abusus, tum ad Ecclesiae bonum promovendum. Magnis voluminibus opus esset si praeclaras hujus Pontificis dotes, singulaque gesta numerare liceret, de quo ipse Voltaire sequens dysticum composuit:

*Lambertinus hic est, Romæ decus et pater orbis,
Qui mundum scriptis docuit, virtutibus ornat.*

Nihil est in christiana ethica, in jure canonico, in disciplina ecclesiastica tam arduum aut reconditum quod ipse suis scriptis non definierit, unde sacri Antistites cunctique fideles rerum agendarum normam percipere possunt. Exortas, eo sedente, controversias de matrimonii mixtis, de usuris, jejunio, aliasque vel ad dogmata vel ad disciplinam spectantes luculenter et perspicue explanavit, adeo ut ejus scriptis 16 volumina in folio impleantur.

Quid cum jansenistis, schismaticis Ultrajectinis, et de ribus Sinensibus egerit jam diximus. Præterea omnes fere contentiones cum principibus feliciter composuit, conventionibus cum ipsis initis, inter quas illa cum Ferdin. VI Hispan. Rege an. 1753 inita celebris est. Ad Coptos etiam, Maronitas, et Armenios suam sollicitudinem extendit, visusque est in omnibus nonnisi religionis splendorem enixe curare. Quod objicitur de præjudiciis ab ipso habitis aperte calumniosum est, siquidem ut scriptor, ut princeps, et ut Papa, ab omnibus indiscriminatim magni habitus fuit.

Hic egregius Pontifex an. 1758 defunctus, successorem se dignum habuit Card. Rezzonicum, qui sub nomine *Clementis XIII* Ecclesiam rexit usque ad an. 1769. Superius vidimus, qua constantia Borbonum suggestionibus adversus Jesuitas restiterit. Non minus etiam ejus agendi ratio commendari debet cum duce Parmensi, ut ad revocanda plura decreta, clero injuriosa, ab ipso lata, eum adducceret. Sed ille Au-

larum Borbonicarum, quibus sanguine jungebatur, auxilio fretus, Pontifici tenaciter restitit. Hic vero an. 1767 decreta illa temeraria et irrita declaravit, Parmenses ab obedientia iisdem præstanda absolvit, et Ducem excommunicationi obnoxium pronuntiavit. Tunc Borbones causam Ducis suam fecerunt, et Galli Avenionem, Neapolitani Beneventum et Pontem-Corvum occuparunt; verum Pontificis constantia his inquis violentiis frangi non potuit. Tamen has inter aliasque simultates mærore consecutus an. 1769 obiit.

Proscriptis etiam librum Justini Febronii *de Ecclesiæ statu et legitima Rom. Pont. potestate*, in quo divina Ecclesiæ Constitutio et Papæ primatus convelluntur. Etenim «omnia «ex hæreticorum et S. Sedi infensissimorum hominum libris «conquisivit, absurdissima quæque de suo adjecit.» Plures Episcopi et Universitates eundem librum damnarunt, pluresque eruditæ viri inter quos F. Ant. Zaccaria, ipsum doctissimis scriptis confutarunt, ostendentes non alium Febronii finem fuisse, quam Rom. Sedi universi orbis invidiam parere. Cæterum pessimos fructus infelix Febronii liber proferre non destitit, nam principes in suis ad Sedem Apost. relationibus passim secundum illius perversa principia egerunt.

Clementi XIII defuncto Card. Ganganelli suffectus fuit, qui nomen *Clementis XIV* assumpsit. Hic aliquibus concessionibus Borbonum expostulationes placavit, et Avenionem, Beneventum et Pontem Corvum recuperavit, nihilque omissit, ut dissidia inter Rom. Curiam et aulas Borbonicas pendentia componeret. Compulsus tamen necessitate S. J. suppressit, a quo tempore viribus destitui cœpit. Quare plura quæ in Ecclesiasticæ et publicæ rei bonum animo volvebat, opere complere non potuit. De hoc Pontifice varii varia scripserunt: quidam maxime suspectæ fidei homines, summis lau-

dibus extulerunt, alii nimia libertate depresserunt. Aliqua pro ejus defensione superius diximus, etenim nihil facimus vitam ejus a Marchione Caraccioli scriptam, fabulis et calumniis refertam, ut eruditii consentiunt.

In conclavi ad designandum successorem uon minor ac in præcedenti dissensio fuit; cum alii, a Galliæ et Hispaniæ curiis excitati, Pontificem cuperent, qui defuncti decretum contra S. J. confirmaret; alii talem, qui illud revocaret, aut saltem illius executionem non urgeret. Tandem in Card. Braschi omnium suffragia directa sunt (15 Februarii 1775) qui *Pii VI* nomen habuit.

Valde longum Pontificatum iste habuit difficillimis negotiis et curis agitatum, ingentiaque hostium econamina contra S. Apost. expertus est. Et in primis Josephus II Imperator, princeps inquietus et novitatum amans, ad innovandam rem ecclesiasticam, ut supra innuimus, edicta edictis cumulavit, Pius VI pluribus litteris Imperatorem ad meliorem mentem revocare conatus, Vienam 1782 contendit, ubi omnem sollicitudinem in ejus consiliis mutandis frustra adhibuit. Sed in Hetruria magnus Dux Leopoldus audaces innovationes introducere studuit circa divinum cultum, disciplinam, regimenque ecclesiasticum. Ad quod synodos diaconesanas convocari præcepit, inter quas Pistoriensis an. 1786 celebris est a Scipione Ricci habita, qui de suo clero diffidens, plurens extraneos novitatis genio imbutos ad eam vocavit. Vix credibile videtur quó stultitiae synodus ista pervernerit, quæ omnes sordes Jansenii et Febronii circa potestatem Ecclesiæ et Rom. Hont. indulgentias, impedimenta matrimonii, aliaque plura suas fecit. Pius VI acta istius synodi et 85 propositiones ex iis excerptas, cujusque censura designata, per sollemnem Constitutionem *Auctorem fidei* an.

1794 damnavit. Tunc Ricci Pistoria ejectus fuit et deinde episcopatu abdicavit, et an. 1805 ad pedes Pii VII pro voluntus errores suos defestatus est, quo facto veniam obtinuit.

Pius VI adversus Leopoldi decreta iterato reclamavit, sed cum iste non resipisceret, [episcopis ab illo nominatis canoniam institutionem negavit: hic vero legatum suum Roma avocavit, et Nuntium apostolicum jurisdictionis suae exercitio interdixit. Anno 1790 Leopoldus in locum fratris sui Josephi II ad imperium evocatus, Hetruriæ Ducatum filio suo Ferdinando cessit, sub quo concordia et pax sensim redierunt. Similiter in Sicilia gravia negotia Pontifex peregit, variisque mediis ministrum Tannuci ad officium revocare tentavit, donec post magna dissidia, an. 1790 conventionem concessit.

Sed majores amaritudines Pio VI Gallia paravit impia illa revolutione, de qua superius diximus. Magno quidem dolore Pontifex progressus impietatis videbat, omnique zelo episcopos ad constantiam et ad legitime certandum pro domo Dei hortatus est. Innumeratas epistolas gravitatis plenas in hunc finem scripsit, et Congregationem Cardinalium instituit pro expediendis negotiis ad presentem ecclesiarum in Galliis crisim spectantibus. Brevi autem in propria domo impiorum assaltus sustinere debuit; nam Galli, duce Bonaparte, Italiam universam suis armis subjecerunt, pluresque civitates pontificiae ditionis occuparunt. Pontifex ad pacem obtinendam iniquissimas conditiones firmare coactus fuit, nimirum 21,000,000 francorum solutionem, legationum Bononiensis et Ferrarensis et arcis Anconitanæ cessionem, præter pretiosissima manuscripta et artis monumenta Gallis tradenda; sed Directorium pacem confirmare noluit, nisi Pontifex quæcumque in causa Constitutionis civilis cleri decre-

verat, bullas etiam et brevia ab initio revolutionis a Pio edita revocaret. Pontifex hanc iniquitatem exhorruit, quare *Directorium* sub prætextu sedandorum in Roma motuum, (quos ipsummet per emissarios suos excitabat) belliduci Berthier mandavit ut Urbem occuparet, et Pontificem custodiae traderet.

Igitur Berthier (4 Feb. 1798) armata manu Roma potitus, per calvinistam Haller decretum ad Pontificem missit, quo regno seu statibus suis orbatus et exauctoratus declarabatur. Mox respublica Romæ proclamata est. Tunc rapax manus missa est in omnia Pontificis mobilia, magistratus ejecti, cardinales dispersi, statuaque *Libertatis*, insignia pontificia pedibus tenens, erecta est. Pius VI opprobiis saturatus, 20 Februarii, violenter e palatio suo raptus, in Hetruriam abductus fuit, et in Carthusiam Florentiæ inclusus. Eum principes Europæi obsequentissimis litteris solati sunt; multi fideles è diversis locis copiosa subsidia ei obtulerunt, Episcopique Orbis suam observantiam et dolorem testati sunt. Quibus Pontifex respondit mæstos afflictosque consolando, alias ob zelum et fortitudinem laudando, omnes denique ut in officio perstarent viriliter verbo et exemplo hortando. Deinde impii anni sequenti 1799 venerabilem senem, viribus doloribusque fractum, et rogantem, ut sibi in Carthusia quiete mori concederetur, iterum rapuerunt, et conjectum in vehiculum, per aerem inclementem, viasque difficiles et montosas in Valentiam Galliæ apportarunt. Illic Pius VI, paulo post, diuturnis ærumnis fractus, et paralisi laborans, die 27 Augusti, *ex toto corde* inimicis dimittens, pretiosa morte, ad martyrii coronam evolavit.

Pius VI sacra tiara dignissimus, inter optimos Pontifices præclarissimum locum jure obtinet. Religionis studio ar-

dens, doctrina et prudentia clarus, indefessi laboris patiens, pro Ecclesiæ et Statuum sutorum bono assidue vigilans, in pauperes misericors, omnibus affabilis, omni laude superior dici potest. Et quidem divina Providentia hunc Pontificem calamitosis temporibus aptissimum suscitavit.

Igitur Pontifice in manibus hostium mortuo, Cardinalibus dispersis, Roma a Francis seditionis occupata, Ecclesia peritura videbatur. Tunc vero novum documentum Deus dedit de Christi promissionum firmitate, se usque ad consummationem saeculi ab Ecclesiæ tutela non recessurum. Etenim adduxit Deus a longinquæ gentes, a catholica fide alienas, quæ juncto cum Austriacis et aliis fædere, Gallos hoc ipso anno 1799 Italia expulerunt, et Petri Sedem libertati restituerunt. *Qui habitat in cælis irridebit eos.* (1)

(1) Wouters, op. cit.—*Memorias para la Histdria Ecclæ del sig. XVIII* —Henrion, *Hist. Eccl. lib. LXXXV ad XC VIII* in variis locis—Beaufort, *Histoire des Papes. Nat. Alex. Hist. Eccl. supplém. dissert. I. De Pio VI-Blanchard. Precis hist. de la vie de Pie VI.*

EX SÆC. XIX.

CAPUT XXIV.

Universalis Ecclesiæ conspectus sœc. XIX ineunte.

Impietatis sœculi præcedentis perniciosum influxum omnes fere Nationes expertæ sunt. Ecclesia vero nihil de suo vigore amissa inter tot tempestates incolumis perstítit, quin imo triumphum super ruinas inimicorum cecinit et indefectibilem cursum tranquille prosequuta est. Et ex inflictis ictibus convalescens majores vires ad nova prælia sustinenda acquisivit.

Missiones quidem generali rerum in Europa perturbatio-ne, Ordinibus religiosis et missionum seminariis sublati, aliquantulum declinarunt, sed deinde, pace reddita, virili-ter resfloruerunt. Nam congregatio Lazaristarum à Ludov. XVIII Galliæ an. 1816 restituta, congreg. de *Propaganda si-de* et alia 1822 Lugduni instituta novos operarios ad diver-sas missiones destinarunt, subsidiaque magna precum et eleemosinarum illis contulerunt. Restituta etiam an. 1814. *Societas Jesu* consueto zelo et fructu laboravit. Atque ita in

Oriente, in Sinis, Tongkino, Australia et alibi catholicæ missiones redintegratae sunt, novæque institutæ; adeo ut an. 1845 præfata societas de *Propugnanda* 122 Vicariatus apostolicos et diœceses in diversis regionibus numeraret, quibus subsidia ferebat. Et dum missiones catholicae mirifico incremento dilatantur, protestanticæ majoribus subsidiis pollentes, misere macrescunt. Societates vero biblicæ initio hujus sæculi (1804) Londini fundatae et postea plurimum auctæ, nonnisi detrimentum veræ fidei proficiunt; jure proinde à RR. Pont. proscriptæ, de quibus J. Perrone erudite perfractat. (1)

In America etiam religio catholica tum in civitatibus, tum in missionibus inter feros indigenas institutis incredibilia pene incrementa cepit. Etenim perturbatis in Europa rebus et exorta inde contra Ecclesiam persecutio multi sacerdotes in *Status-unitos* se contulerunt, quorum opera varia collegia et cœnobia illic erecta sunt, et catholicorum numerus continuo auctus. Quapropter Pius VII episcopalem sedem an. 1789 Baltimore erectam ad dignitatem metropolitanae an. 1808 evexit, et quatuor suffraganeas creavit. Ex quo tempore tales progressus vera fides habuit, ut an. 1838 episcopatus 17 illic numerarentur, 538 ecclesiæ, 28 seminaria et 58 xenodochia; anno vero 1846 synodo sexto Baltimoresi 23 episcopi interfuerint. In reliquis Americae regionibus, Mexico, Guatemala, Peru, quæ Hispanorum dominium detrectantes, independentes factæ sunt, catholica religio nihilominus intemerata remansit.

In Sinis vero persecutio in christianos, præsertim nobiles, perdurarunt. An. 1814 à gubernatore provincie

(1) *De loc. Theolog.* part. II. cap. IV. *De vera relig.* part. II. prop. X.

Setschnem tam vehemens fuit et diurna excitata, ut plus quam 400 fideles crudeliter torti sint, qui cum antiquis martyribus fortitudine et constantia conferri possunt. Ecclesia vero, velut hortus divinus, martyrum sanguine irrigatus, uberiores fructus quotidie ferebat, et fert, ex quo præsertim an. 1845 Imper. *Tao-Kouang* liberum christianæ religionis exercitium et Ecclesias aedificare permisit, adeo ut paucis abhinc annis ultra 600,000 catholicorum ibi essent. In Tongkino, post imperium Anamense conditum, *Gia-Long* primus imperator qui ab an. 1800 usque ad 1820 regnavit, religionem christianam protexit et missionariis benevolum se exhibuit, verum ejus filius et successor *Minh-men* an. 1825 plura contra ipsos decrevit, quæ tamen anno sequenti revocavit.

Status vero Ecclesiæ in Europa, hoc sæculo ineunte admodum perturbatus erat. De Gallia et Hispania suo loco dicemus. In Germania religio catholica grande detrimentum subiit, cum per congressum Viennensem ecclesiastici status principibus acatholicis subjecti sunt. Pius VII ad compendum in his terris ecclesiarum regimen an. 1821 cum Friderico Guillielmo rege Borusiæ et cum fœderatione Germanica conventiones init; sed protestantes executionem eorum de quibus cum Apostolica Sede convenerant, parum curarunt.

Guilielmus I etiam Belgii rex pluribus arbitriis actis catholicorum conditionem in dies duriorem reddidit. Ann. 1815 constitutionem proposuit plures articulos catholicæ religioni adversantes continentem, adversus quam cum Episcopi reclamassent, plures eorum variis pœnis afflicti sunt. Anno 1727 concordatum cum Leone XII init, sed mala fide in exequendis pactionibus usus est. Quare Belgæ

1830 jugum Batavicum excusserunt, Guillielmum I eje-
runt, et Leopoldum principem Saxo-Coburgensem regem
acclamarunt. Sub hoc vi novae constitutionis regimen eccl-
esiasticum à civili factum est independens, nuncque Episco-
pi summa libertate gaudent et cum Sede Ap. communicant.

Catholicorum Russiæ et Poloniæ conditio, tum græci, tum
latini ritus maxime tristis etiam est. Sub Alexandro I qui us-
que ad annum 1825 imperavit persecutioes quidem sopitæ
sunt, sed schismatici ecclessias ereptas retinuerunt. Post
hunc vero, catholici omnis generis vexationes experti sunt,
propter quas anno 1839, tres episcopi cum suo clero et po-
polis a R. Eccœ communione deficienteſ ad schisma transie-
runt. Greg. XVI et Pius IX omni sollicitudine catholicorum
in iis partibus indigentias levare studuerunt. Dura tamen
eorum sors aliquantulum levata est, cum Nicolaus I imp
an. 1845 Greg. XVI invisit, et postea concordatum cum Pio
IX egit: Alexander II vero ab an 1863 novas turbationes pa-
ravit, Pio IX frustra intercedente.

Anglia vero felicem aspectum hoc saeculo reddit. Post
unionem Hiberniæ cum Anglia, jam ab an. 1805 de eman-
cipatione catholicorum pluries actum est. Hæc autem anno
1829 a Cameris sancta est, ex quo tempore catholici, om-
nia jura civilia adepti, plurimum numero aucti sunt. Sed
etiam Puseystarum studiis factum est, ut conversiones ad
Rom. Eccam. quotidie fierent frequentiores. Pusey, Doctor
Oxoniensis an 1833 theologiam anglicanam instaurandam
suscepit secundum veterum patrum traditionem, quo facto,
veritate comperta, viam ad Rom. Ecclesiam aperuit. Grego-
rius XVI an. 1840 pro magno fidelium numero, novam re-
gionum ecclesiasticam partitionem facere debuit, quæ hu-
cusque a Vicariis Apostolicis gubernabatur. Sed 1850 Pius IX

nova ibi rei catholicæ incrementa cernens, toto Orbe mirante, ordinarii regiminis episcopalis formam restituit. Nunc autem in sola Anglia, exceptis Scotia et Hibernia, plusquam 622 templo catholica, 42 monasteria, et 11 collegia numerantur in quibus Benedictini, Domin, et Jesuitæ juventuti erudiendæ operam navant.

Et hæc quidem ut hujus sæculi quædam species habeatur sufficientia sunt, quæ viva voce in aula fusius enarranda erunt. Dedit etiam Ecclesiæ suæ Dominus perinqsignes Pontifices, qui eam in difficultimis adjunctis sapientissime gubernarunt. Atque hodie nova vita et vigore plena, scientiarum cultura et progressu, virtutum fulgore, fideique firmitate et puritate ubique floret. (1)

(1) Cf. Alzog, *Hist. univ. de la Iglesia* per. III, ep, II part. II.—De Smet, *Goup. de oeil sur l'histoire eccl. du XIX siècle*.

CAPUT. XXV

De Napoleone Imperatore.

Magnum in historia Ecclesiastica hujus saeculi locum, inter Ecclesiae persecutores, Napoleon occupat. Qui enim ab initio in Gallia restituendo religionis exercitio operam contulerat, ut populi animos et sumnum imperium sibi conciliaret, firmato suo principatu, Ecclesiam multifarie opprescit et vexavit, ejusque Pontificem per lustrum integrum captivum retinuit. Quod serius Pius VII sensit et declaravit, Napoleonem scilicet ejus esse indolis, ut amicitiam cum Ecclesia affectaret unice ad eam facilius prodendam, ejusque patrocinium simularer ad securius eam opprimendam.

Itaque hic a primis Gallicae revolutionis annis magnam nominis celebritatem obtinuit, variis bellis rara fortuna gestis, et ad supremos militiae honores juvenis admodum pervenit. Anno 1799 ex Aegypti expeditione victor redux *Directorium* populis odiosum evertit, regimenque Consulare proclamavit, cuius ipse primus Consul electus est. Tunc plures dispositiones statui Galliae aplissimas intus dedit, exules revocavit, et religionem restituit, Concordato cum Pontifice inito. Deinde foris prospero marte adversus fæderatorum exercitus pugnavit, resque Galliae multum collapsas iterum erexit. Nam an. 1800 selectum exercitum per Alpes et montem Sti Bernardi traduxit, superatisque Austriaeis in celebri prælio apud *Marengo*, quidquid Galli anno præcedenti amisserant, cum fænore recuperavit, et rempublicam Cisalpinam instauravit. Similiter in Germania præclaras victorias

Galli belliduces apud *Hohenlindem* retulerunt, ac domum Austriacam et Imperium ad postulandam pacem compulerunt, quæ 1 Januarii 1801 Lunevillæ signata, præter cessiones jam ante factas, Gallorum dominio adjecit quidquid ad lœvam Rheni situm est. Pacem etiam cum Anglis et aliis potentissimis pepigit, ob quod Napoleon an. 1802 a Senatu Consul perpetuus renuntiatus fuit.

Anno vero 1804 ob optimam administrationem, Senatus consulto, Imperator Francorum proclamatus est. Napoleon ut assumptæ dignitati majorem firmitatem conciliaret ab ipso Pontifice sacram unctionem recipere voluit; multa pro Ecclesia ad hoc assequendum promittens, cui Pius VII duobus conditionibus satisfecit; ut Episcopi Constitutionales se decretis Sedis Ap. sincere subjicerent; ut imperator qui civiles tantum nuptias cum Josephina inierat, coram Ecclesia matrimonium confirmaret. Verum Episcopi rursus non nisi subdole se submiserunt, Imperator vero coram avunculo suo Cardin. Fesch matrimonium contraxit, sed sine testibus, quorum defectu serius matrimonium suum invalidum declarari jussit. Consecrationis cæremonia (2 Decembbris 1804) in Ecclesia metropolitana Parisiensi cum magna pompa perfecta est. Napoleon postea maxima ingratitudine erga Pontificem egit, seipsum anno sequenti regem Italiæ coronari faciens.

Tunc immanis ipsius ambitio cognosci cœpit, qui Gallorum imperio non contentus, universam Europam sceptro suo submittere cupiebat. Quapropter iterum Nationes fædus inter se inierunt, Napoleon vero contra Austriacos et Russos bellum eodem anno prospera fortuna resumpsit. Nam Austriacos sub Ulmae muris plene fudit, et Viennam petens, 13 Novembris ea urbe regni sede potitus fuit: deinde 2 Decem-

bris apud Austerlitz Austriacos et Russos junctos ita vicit, ut pacem onerosis conditionibus apud Presburgum firmare debuerint. Tunc Bonaparte ad destructionem Imperii Germanici, fædus dictum Rhenanum instituit, regna Bavariae, Saxoniae et Wurtemberg ereavit, fratrem suum Josephum regem Neapolis proclamavit, fratrem suum Ludovicum regem Hollandiæ, et anno sequenti in favorem fratris sui Hieronimi erexit regnum Wesphaliæ. Atque Borussos et Russos pluribus præliis victos ad hæc omnia acceptanda, pro pace, compulit. An. 1807 Gallorum exercitu occupavit Lusitaniam, et anno sequenti, magno suo malo, Hispaniam submittere voluit, quam fratri suo Josepho dedit: verum Hispani fortiter pro sua libertate dimicantes, Napoleonis ruinam paraverunt, ut mox dicemus.

Interim an. 1809 bellum denuo inter Austriacos et Gallos exarsit, qui postremi rursus Vienam occuparunt; et superatis Austriacis apud Wagram, ea conditione inter alias pacem dederunt, ut Francisci Imp. Austriæ filia, Napoleonis desponsaretur. Hic jam a pluribus annis Josephinam de Beaubarnais uxorem duxerat, sed prole ex ea carentes, suum matrimonium per Eccam curiam Parisiensem invalidum declarari fecit, tanquam contra præscriptum concilii Tridentini sine parochi et testium præsentia contractum. (1) Quo facto. (2 April. 1810) Mariam Ludovicam Austriæ uxorem duxit, ex qua deinde filium suscepit, quem regem Italie in incunnabulis declaravit.

Vérum ex hoc tempore cœpit Napoleonis stella obscurari. Nam an. 1812 cum exercitu 500,000 hominum contendit in Russiam, et post varia prælia Moscowam usque penetravit, ve-

(1) Vide Henrion lib. C. n.^o 26 et seq.—et in appendice ad finem tomī VIII edit. Barcin. 1855.

rum Russi fugam simulantes, urbem hanc, incolis egressis, incenderunt, quo facto Galli recedere coacti sunt. Tunc ipsos frigore et fame pereuntes, a tergo et latere Russi aggressi tantis cladibus affecerunt, ut totus pene exercitus perierit. Atque omnes Napoleonis fæderati, metu soluti, fædus cum Russis contra illum sanxerunt. Sed ipse anno sequenti novum exercitum 550,000 hominum in Germaniam conduxit, verum post varia prælia, insignem cladem apud Leipsike expertus est. Deinde fæderati victores Parisios usque venerunt, ubi anno 1814 Napoleon imperio abdicare coactus fuit, et ad insulam Elbam conductus. Tunc solium paternum Ludovicus XVIII et cæteri principes depositi receperunt.

Napoleon vero a pluribus adjutus ex insula sua egressus 1 Martii 1815 imperium recuperavit. Sed tribus mensibus elapsis apud Waterloo in Belgio plene victus a fæderatis fuit; cumque hostium manus evadere nesciret se dedidit Anglis, a quibus in insulam S. Helenæ in extremis Oceani plagis asportatus est. Ibi terribili sane divinæ justitiæ exemplo, idem ille homo, cui antea totus orbis sufficere vix videbatur, in remoto rupis angulo an. 1821 obiit. Pius VII cum ipsis familia benignissime egit, et non obstantibus illius in Ecclesiam persequeutionibus, illum morientem sua benedictione solatus est.

Et quidem multa adversus Ecclesiam et Pontificem ille patravit. Cum enim Pontifex in neutrām partem beligerantium propenderet, id ægre ferens Bonaparte Anconam (1805) primum intercepit; deinde Beneventum et Pontem-Corvum, et demum 2 Februarii 1808 ipsam Romam militari manu occupavit: adversus quæ facinora Pius VII iterato protestatus est. Tunc maxima pars Cardinalium deportati sunt, Pontificis ministri in Carcerem conjecti, ipse Papa detentus,

aliaque plura, jure gentium repugnante, attentata. Deinde in provinciis Urbini, Marchiœ &c., quas Ap. Sedi ademptas Imperator regno Italœ adjunxit, episcopi fuerunt exturbati, et multa facinora nefaria et sacrilega patrata sunt. Demum decreto Viennæ in Austria an. 1809 dato, Napoleon totum *Petri patrimonium* Pontifici eripuit, et imperio Francico adjecit. Pius VII de hoc certior factus, maxima fortitudine, Bullam excommunicationis contra usurpatorem ejusque cooperatores promulgavit.

Imperator iratus Pontificem ex Urbe rapuit et Savonam captum adduxit, ubi hic toto triennio Napoleonis artibus et minis, ut ditionibus suis renuntiaret, fortiter restitit. Ejus invicta firmitas persecutorem frangebat, cum præterea epis copis, ab Imp nominatis, canonicam institutionem denegasset, donec pristino statui foret restitutus. Tunc Imperator capitula sedium vacantium compulit ad conferenda episcopis nominatis jura vicariorum generalium: Pius vero Bravem dedit nullam atque invalidam ejusmodi delegationem declarans. Napoleon ira percitus Pontificem arctiori custodiæ tradidit, et nationale Concilium, inter minas, an. 1811 convocavit, sed cum in eo res non secundum ejus vota procederent, illud dissolvit. Sed postea resumptum, decretum inter alia edidit, quod nisi Pontifex intra sex menses canonicam institutionem conferret, eamdem conferre posset metropolita vel senior Episcopus provinciæ. Quod decretum Pius VII variis artibus pressus, metu etiam flexus malorum, quæ illi prædicebant, approbavit, sed postea approbationem suam revocavit. Episcopi vero ad Ecclesiæ suas redire jussi sunt.

Interim venerabilis senex mense Junio 1812, Imperatoris jussu, in Fontainebleau translatus fuit. Multa in itinere

perpessus, adeo graviter ægrotavit, ut in monasterio Cisterciensi montis Cenis sacramenta suscipere debuerit: quo non obstante viam prosequi inhumane coactus fuit. Tunc Napoleon bello Russico superatus, Pontificem ut conventionem signaret instantis schismatis periculo minatus est: deinde ipse Fontainebleau venit, ubi blanditiis et minis à Pio VII jam admodum confracto subscriptionem extorsit. Verum ea tantum conditione Pontifex subscrispsit, nempe, ne articuli vulgararentur, neque ullam vim haberent, priusquam in libero cum Cardinalibus consistorio fuissent approbati. Cum Imperator præfatos articulos magna perfidia tamquam leges publicasset, Pontifex de fraude monitus, fortiter protestatus est illos nullam vim habere; quo facto novas vexationes expertus est. Tandem post prælium Lipsiense libertatem Pontifex obtinuit, qui inter magnas populorum ovationes, et exultante universo Orbe, Romam die 1 Aprilis 1814 profectus est. Ejecto vero Napoleone, omnes Sedis Ap. provinciæ, excepta Avenione, in congressu Viennensi inter principes ad componendum statum Europæ habitu, Pontifici restitutæ sunt.

Atque hic jam divinam pro Ecclesia providentiam agnoscere et laudare debemus. Etenim tanta erat, tamque firma videbatur Napoleonis potentia, ut temporalem Pontificis protestatem, cum qua ejus in regenda Ecclesia libertas arctissime conjungitur, in perpetuum intercidisse, ipsiusque Ecclesiæ excidium secuturum hujus hostes lætabundi vaticinarentur. Nam utique sumnum erat Ecclesiæ discrimen, Capite ejus sub arctissima custodia posito, Cardinalibus dispersis, cunctis ecclesiasticorum negotiorum Congregationibus in Urbe Roma dissolutis: sed cum magis desperatæ res videbantur, coronam Dominus de capite persecutoris dejicit, impiorumque consilia velut fumus abierunt.

CAPUT XXVI

De bello ab Hispanis contra Napoleonem sustentato, et statu Ecclesie Hisp. sœc. XIX ineunte.

Magnam historiæ hujus sœculi partem res Hispaniæ implent. Illas, qua merentur amplitudine, præstituti operi limites narrare non sinunt, etsi aliunde notissimæ sint, cum a patribus repetitas plerumque omnes audierimus. Nonnulla tamen de his dicenda sunt, quæ illis in memoriam revocandas sufficient.

Primitus hujus sœculi annis tristis admodum erat Hispaniæ conditio. Etenim Carolus IV Rex, venationi deditus, regni administrationem Emm. Godoy commissit, qui suis pessimis dispositionibus regnum et Ecclesiam ad maximam decadentiam perduxit, ita ut Vinc. de La Fuente affirmet, nullum esse in diebus nostris regni malum, quod sub illo funesto homine non incæperit. Hic post infaustum bellum cum Gallis onerosissimam pacem signavit (1796), qua Angliae inimicitiam atraxit. Diurno bello inde secuto, Angli plurimas clades Hispaniæ intulerunt, inter quas maritimæ clasis apud Trafalgar profligatio an. 1805 acerbiorum obtinet locum. Hoc tempore Napoleon Escurialenses machinationes fovebat, vi quarum Asturiæ princeps Ferdinandus paternum solium usurpare velle fingebatur; quare ipse prætextu defendendi Carolum numerosas copias in Hispaniam missit, quæ munitissima castra et civitates occuparunt.

Verum Hispani de Napoleonis amicitia jure timentes, in

Aranjuez arma sumpserunt, magnis clamoribus, Godoy desstitutionem postulantes, quem velut istorum malorum fautorum ipsi spectabant. Igitur Godoy ab omnibus Hispanis execratus custodiæ traditus fuit, et Carolus IV regno abdicavit. (1808) Napoleon vero Ferdinandum VII agnoscere moratus est, et ipsum ejusque patrem colloquiorum prætextu dolose in Bajonam pertractos, ad renunciandum solio Hispanico coegit, quod fratri suo Josepho assignavit, constituto pro eo rege Neapolis Joachimo Murat. Hispani autem pro regis et patriæ defensione acerrime dimicarunt, malueruntque succumbere, quam Gallorum jugo colla submittere.

Itaque die 2 Maji generalis belli primum vexillum erexit, gloriosoque sanguine signavit, populus Matritensis quem deinceps omnes provinciæ sequntæ sunt. Nam ad impedendum principum, qui adhuc Matriti erant, in Galliam discessum, in arma prorupit, viriliterque pugnavit, atque non nisi proditione et perfidia tandem victus cecidit. Atque hic præclara nomina D. LUDOV. DAOIZ et D. PETRI VELARDE præteriri non licent, qui velut heroes pro patria cæsi, memoriam Hispanis semper charam et laudabilem reliquerunt. Horum exemplo nempe Hispanorum animi ad repellendam Gallorum dominationem incensi sunt. Cruentus autem Murat inaudita ferocia in infensum populum sæviit, et præterea plusquam 140 cives igneis globulis interfici jussit.

Hæc igitur infamis Gallorum agendi ratio omnium Hispanorum in ipsos odium universim concitavit. Bellum ergo per omnes provincias maximo ardore erupit; gubernii conventus (*juntas de gobierno*) nbiique formati sunt, et Angli in auxilium vocati. Brevi apud Valentiam Galli fuerunt proligati, ipsorumque maritima classis in Gades prædata: deindeque in memorabili prælio apud Bailen (19 Julii) bellidux

Castaños Gallorum exercitum plene fudit, ex quibus 3,000 cæsi, et ultra 20,000 capti sunt. Alias etiam præclaras victorias Hispani retulerunt; quamobrem Joseph Bonaparte, Mærito relicto, fugam celeriter ad Gallorum exercitum petiit, qui, Cæsaraugustæ obsidione relicta, trans Iberum castra posuerat.

Sed brevi sors mutata est: res enim Hispaniæ sibi adversas Napoleon videns cum lectissimo exercitu 100,000 peditum et 20,000 equitum, a peritissimis Imperii Marescallibus gubernato, ipse venit. Et quamvis Hispani fortissime et heroice resistiterint, totam fere Peninsulam, (non tamen absque cladibus ab ipso expertis) suis armis subjicit: quod quidem mirum non est, eo quod tyrones hispani milites essent, Galli vero veterani et pluribus præliis assueti. Non tamen ob id manus victas nostri dedere, sed in parvas turmas (*guerrillas*) divisi, bellum separatim prospera plerumque fortuna prosequuti sunt, partiales quidem sed continuas jacturas Gallis inferentes, ita ut in toto bello Hispanico plusquam 300,000 Francorum perierint. Angli etiam milites Lord Wellington duce, generatim prospero marte pugnarunt, præsersim vero an. 1813 apud Victoriam et alibi insignes triumphos obtinuerunt, quibus Galli Hispaniam desserere coacti sunt. Napoleon ergo Ferdinandum VII die 11 Decembris 1813 Hispaniæ regem agnovit, et libertati restituit.

Interim in Hispania regni Comitia jam ab an 1810 (24 Septembris) convocata, pro patriæ defensione et regimine plura decreverunt, novamque status constitutionem an. 1812 promulgarunt. Horum autem Comitiorum celebratio et subsequita inde *Constitutio* non modicis scissionibus tum inter ipsos Deputatos, tum inter reliquos hispanos ansam dederunt. Etenim ab initio plurima decreta sanxerunt, quæ His-

pani antiquæ traditioni adversa sentiebant. Et primò quidem supremum apud Nationem jus esse (*Soberania nacional*) decreverunt, omnesque Deputatos hoc decretum jurejurando acceptare coegerunt, plurimis Deputatis clericis frustra reclamantibus. Cardinalis autem D. Petrus de Quevedo et Quintana Episcopus Auriensis, cui cum aliis quatuor supremum regimen demandatum erat, juramentum præstare noluit, Regentisque et Deputati muneribus renuntiavit: verum minis cædens, protestatione tamèn facta, illud tandem apud Card. de Borbon præstavit, et in Diæcesim suam profectus est. Hujus exemplum plures alii Episcopi et clerici postea imitati sunt.

Igitur Comitia Gaditana plures res a spiritu populi prorsus alienas effecerunt, quibus inter ipsos Hispanos magnum scisionis germen jactum est, cuius infelices fructus adhuc perdurant. Etenim vocabula *liberalium et regalistarum* tunc primum audita sunt, quæ tantorum malorum scaturigo in posterum fuerunt. Primum autem horum nominum novarum institutionum assertores, secundum vero antiqui regiminis, juxta priscam patrum traditionem, defensores designabat. Et sane a Comitiis libertas typographica, excepta tamen materia Religionis, decreta est. Hujus vero libertatis periculum ex hoc inter cætera patet, quod major pars populi, rudiores nempe ad quæque amplectenda parati, scriptorum malitiæ aut errori obnoxia est. Luctuosa præterea experientia testatur, quantum ab initio et deinceps hac libertate abusum sit: nam brevi tunc plures libri prodierunt ab ipsis *liberalibus* jure meritò execrati.

Rebus ecclesiasticis deinde sese Comitia inmiserunt, Josephi Bonaparte vestigia prementes. Hic quidem Ordines religiosos et militares suppressit, *volum Sti Jacobi* abolevit,

Inquisitionem abrogavit, Clericorum que immunitatem sustulit, quibus decretis magnam Hispanorum invidiam subiit. Idipsum pariter Comitia Gaditana decreverunt, scilicet, ne religiosi Ordines in posterum tyrones admitterent, ne conventus repararentur, utque clauderentur illi qui numerum saltem duodecim fratrum non haberent: atque etiam S. Inquisitionis officium abrogarunt. Quibus factis se non esse verum voluntatis populi interpretem satis ostenderunt. Atque hinc factum est, ut plures Episcopi litteras pastorales magno zelo scriptas adversus Comitiorum decreta dederint: verum nihil aliud nisi tetram a supremo Regimine persecutionem obtinuerunt. Ob eamdemque causam S. Apost. Nuntius dimissus est.

Igitur Hispanorum spiritus religiosus qui ad repellendam Gallorum invasionem adeo fuerat a clero excitatus, adversus Comitiorum innovationes, Gallicæ revolutionis affines, prorupit, quare multi cives deinceps eodem modo Gallos et *liberales* sub communi hostium ratione spectabant. Quot vero mala ex hoc exorta fuerint, et historia docet et quisque facile deprehendere potest. Sed Ferdinandus VII an. 1814 in solium suum restitutus, Gaditana Comitia, jam Matritum ranslata, dissolvit, et Constitutionem 1812, magno Hispanorum plausu, abolevit: deindeque in Deputatos Gaditanos regiae dignitati infensos judicium institui jussit. Horum ergo plures carceri mancipati sunt, vel deportati, Ecclesiastici vero in conventus in perpetuum missi. Tunc Ferdinandus VII ecclesiasticam rem admodum perturbatam, ex quo Hispaniam Galli occuparunt, componere studuit.

Et quidem Ecclesia Hispanica plures calamitates his temporibus passa erat. Noti sunt administri Godoy pravi conatus, ecclesiasticorum bonorum dilapidatio, xenodochiorum

et cappellaniarum venditio et in publicos reditus conversio, aliaque plura ab ipso patrata. Nemo item ignorat multigena mala a Gallis illata, impietatis progressus ab ipsis excitatos, ecclesiarum expoliationem et destructionem, iniqua decreta a Bonaparte lata, clericorum perseguitionem, quibus omnibus belli horrores, monachorum et monialium profanationes, sacrilegia, cædes, incendia addenda sunt. Societatum etiam occultarum machinationes, pluresque pravi libri in tanta rerum confusione editi vel aliunde introducti, populis pastoribus orbatis, non modicum damnum attulerunt. Quare Ecclesia ad extremam indigentiam et maximas difficultates redacta erat. Ferdinandus VII aliquam medelam his malis posuit, S. Inquisitionis tribunal restituit, religiosos Ordines et *Societatem Jesu* instauravit, Ecclesiasticos favore prosequutus est, aliaque plura concessit: verum hic status parum perduravit.

Nam an. 1820 plures milites, duce Raphaele Riego, in rebellionem acti Constitutionem Gaditanam proclamarunt, rerumque post varios triumphos potiti sunt. Deinde regem ad illam Constitutionem jurandam (quod ab ipso die 7 Martii factum est,) et ad convocandos populi deputatos coegerunt. Comitia ante omnia Inquisitionis suppressionem jam ante a militibus factam approbarunt, Societatem Jesu et plures religiosos Ordines, speciatim Benedictinum aboleverunt, et bona ecclesiastica nationi adjudicarunt. Pius Pp. VII litteris ad regem datis, de Comitorum actis questus est, verum ejus reclamationibus spretis Deputati ad majora transierunt. Et inter alia clericos militari servitio obstrictos declararunt, monialibusque libertatem e conventibus egrediendi dederunt, cumque plures ecclesiastici adversus hæc et similia expostulationes ad Comitia dedissent, judicium in ipsis ins-

titum est. Præterea episcopis mandatum est, ut nemini sacerdotum, qui a nova regni Constitutione animo alieno essent, facultatem prædicandi aut confessiones excipiendi tribuerent; quin imo præciperent, ut parochi, constitutionem e suggestu explicarent. Rex quidem has innovationes confirmare recussabat, verum timore pressus, illas tandem, licet invitus, ratas habebat. Episcopi et ecclesiastici, ut patet, his inquis decretis obedire renuerunt, quare plures eorum exilio, carcere, aut deportatione mulctati sunt, nonnulli inter quos Episcopus Vicensis, inhumane interfici, plurimi vero ad evitandas injurias et vexationes in terras extereras aufugerunt.

Igitur hac iniqua *liberalium* agendi ratione boni omnes religiosique viri plurimum offensi arma sumpserunt, et Ferdinandum VII regem absolutum proclamarunt; Nationes etiam Europenses ad talia facinora impedienda, armata manu intervenerunt. Itaque anno 1823 Dux Engolismensis cum exercitu 100,000 hominum a Ludovico XVIII in Hispaniam missus est: comitia vero Hispalim primum, deinde Gades translata sunt, regemque auctoritate ab ipsis expoliatum, secum abduxerunt. Brevi tamen postremi eorum conatus dissipati sunt, et Ferdinandus VII libertati restitutus regni gubernacula suscepit, (1 Octob. 1823) ex quo tempore paulatim res ecclesiasticæ ad pristinum reductæ sunt statum. Licet autem postremis hujus regis annis nonnulla motuum conamina non defuerint, generatim tamen pax servata est, Regnumque et Ecclesia aliquatenus præterita vulnera repararunt. De infausto bello successionis post ejus obitum excitato postea dicemus.

Interim magnis laudibus in tota hac epocha Clerus Hispanus prosequi debet, eo quod pro patria et religione egregio

zelo et fortitudine laboraverit. Etenim compertum omnibus est, quantum ipse ad promovendum et fovendum *Independencie* bellum contulerit, quot persequentes toleraverit, quantaque et insignia charitatis, fortitudinis et virtutis exempla dederit. Per ipsum Hispania de ambitioso Europæ totius domitore præclarum triumphum retulit, atque immarcescibilem gloriam assecuta est, dignam sane, ut heroicis poematibus celebretur. Nam omnibus spectatis adjunctis, Hispanorum resistentia totius Orbis admiratione, elogio, ac gratitudine digna est, quod jam plures exteri scriptores notarunt. Nescio autem quid de illis hominibus judicandum sit, qui *fanatismum*, ut ipsi ajunt, clericorum deplorant, ideo quod plura bona a napoleonica dominatione percipienda impedierit. Sed quænam bona, quæsumus? Utrum isti heroum ossores jure merito *Hispani* et *catholici* vocari possint, nos non dicimus. Hæc autem et similes accusationes, illa etiam quod ministri pacis nullo modo bellum fovere debuerint, in nostro casu potius laudes sunt. Quod autem additur de crudelitatibus in milites Gallos commissis, non diffitemur quandoque verum esse, et sincere aliquorum clericorum agendi rationem deploramus, qui tamen paucissimi fuerunt. Aliquid vero justarum belli compensationum titulo populis omni ratione oppressis et vexatis concedendum est, præterquam quod invasores fere semper tales perfidias, saevitas et iniuriantes committebant, ut nequaquam ulla miseratione digni existimarentur. Cæterum major cleri pars eximiis laboribus, virtutibus, et patriæ amore claruit.

Quod etiam similiter de *Constitutionis* epocha dicendum est. Etenim omnes fere Constitutionalium dispositiones plerumque Religioni et Ecclesiæ adversabantur: notæ sunt etiam ecclesiarum deprædationes, sacrorum ministrorum

persequutiones, vexationes, cædes ab ipsis patratæ; innovationes ab antiqua traditione prorsus alienæ ab ipsis decretae, aliaque similia; unde mirum esse non debet clerum illi parti adhærere, quæ immunitatem Ecclesiæ defendebat, atque patrum traditiones intemeratas servabat: illæ denique parti in qua de propria vita et tranquillitate non timeret. Existimo ergo clerum ob illud nullam reprehensionem mereri, cum omnes ad se defendendum, etiam armis, ubi necessitas cogat, jus habeant.

—Avouant retentus sicut de falso iuraverat, a constitutis quin
et sexaginta diebus maxima angustia occubuerat custodius duorum
huius magistratus, indecet non tam aperte quam tamen capite ad
eum trahitur, et postea in carcere misericorditer custoditus ibi
componit eam. —

CAPUT XXVII.

De Rom. Pontificibus qui Ecclesiam hac ætate gubernarunt.

Inextricabilia sane videbantur, cum Pius VI obiit, Ecclesiæ adjuncta, ita ut illum Paparum esse ultimum impii hos-
tes, magna lætitia, buccinarent. Stultas autem eorum cogita-
tiones Dominus dissipavit, nam præter communem expec-
tationem Cardinales dispersi, conclave ingressi, Gregorium
Barnabam e Comitibus Chiaramonti, Card. Episcopum Imo-
læ in Pontificem elegerunt 14 Martii an. 1800, qui *Pii VII*
nomen assumpsit, et 21 ejusdem mensis coronatus est. Val-
de longum et præclarissimum Pontificatum hic gessit, variis
tempestatibus jactatum, ipse vero magna prudentia Petri
naviculam per tumentes fluctus tutam conduxit. Et primum
ad ordinandas Ecclesiæ res totus incubuit, deindeque pu-
blicam rerum administrationem miserum in modum col-
lapsam ita composuit, ut publicos palati sui sumptus ad
quartam fere partem reduxerit. Agriculturam etiam, comer-
cium, artes, sapientissimis dispositionibus fovit.

Pii VII cum Napoleone relationes, captivitatem, vexatio-
nes expertas, etc. superius diximus, quare in iis repetendis
non moramur. Aliqua vero de Concordato an 1801 inter ip-
sum et Napoleonem, tunc primum Consulem, inito, addere
oportet, quo in Gallia religionis catholicæ exercitium resti-
tutum est. Præcipui illius articuli huc referuntur: videlicet,
Religionis catholicæ cultus in Gallia erit liber et publicus;
Pontifex suppressis antiquis novam diæceseon circunscrip-

tionem faciet, antiquosque Episcopos monebit, ut sedes suas resignent; nova etiam parochiarum divisio ab Episcopis fiet: his a primo Consule nominatis Pontifex canonicam institutionem conferet, ipsi vero juramentum fidelitatis gubernio præstabunt; Seminaria etiam erigere poterunt, quin gubernium ad ea sustentanda obligetur: sed tamen parochis et ecclesiis congruam sustentationem gubernium assignabit: illi denique qui bona ecclesiastica acquisierunt, in quieta eorum proprietate et possessione a Pontifice et ejus successibus relinquentur.

His articulis Romæ compertis, Cardinales in duas partes super eorum acceptatione divisi sunt, Pius VII vero has conditiones licet duras, pro temporum indole, ratas haberi judicavit die 15 Augusti. Deinde ad omnes antiquos Archiepiscopos et Episcopos *titulares* Galliæ encyclicam scripsit, qua eos docuit, quomodo non obstantibus votis contrariis, urgente temporum necessitate, compulsus fuerit ad novam diœceseon, suppressis antiquis, circumscriptionem: qua pròpter eosdem omnes hortatus est, interpellavitque, ut ob bonum religionis Sedes suas abdicarent. Alia etiam epistola Episcopos Constitutionales excitavit, ut relictis sedibus, quas sine institutione canonica occuparant, ad Ecclesiæ unitatem reverterentur. Ex 84 Episcopis Gallis, qui adhuc in vivis erant, 45 secundum Pontificis vota Sedes suas abdicarunt, reliqui 36 aut inducias, aut nationalem Synodum ad delibrandum de tanto negotio postularunt. Pontifex de horum responsis graviter doluit, sed nihilominus Cardinalium consilio auditio, Bullam 26 Novembris dedit, qua cuicunque titularium assensui expresse derogavit, et iis quocumque jurisdictionis exercitium perpetuo interdixit: et deinde omnium Galliæ Ecclesiarum titulos cum respectivis juribus & sup-

pressit, et 60 novas dioeceses in decem Metropoles divisas creavit. Porro ad novas Sedes Episcopales decem et octo ex antiquis titularibus assumpti sunt, ex constitutionalibus vero duodecim, prævia satisfactione et obedientia Sedi Ap. exhibita.

Igitur Concordatum in codicem legum relatum una cum Pontificis Bullis mense Aprili 1802 promulgatum fuit, sed gubernium mala fide procedens simul cum eo plures articulos dictos *organicos* publicavit, quibus ecclesiastica libertas admodum limitata regimini civili tota subjiciebatur. Etenim continebatur in eis Episcopos Ordines sacros absque gubernii consensu conferre non posse; dioeceses Sede vacante a Vicariis generalibus esse gubernandas; parochos matrimonium benedicere non posse nisi prius ante civilem magistratum contractum esset; Seminariorum Professores sese jurejurando ad docendos *quatuor articulos* declarationis Clerici an. 1682 obstringendos esse, aliaque similia. Pontifex de his articulis a se ante incognitis amare questus, per legatum suum Card. Caprara adversus eos protestatus est, verum nonnisi serò et in paucis articulis satisfactionem obtinuit. Eis vero qui dicunt, S. Sedem numquam adversus articulos organicos reclamasse, peremptorium responsum offert Artaud de Montor, a quo in *Histoire du Pp. Leon XII* tom. II hæc protestatio integra refertur.

Multa bona e Concordato provenisse nemo dubitare potest; verum eidem non pauci adversati sunt, contendentes Pium VII in eo, præsertim quantum ad generalem sedium episcopalium in Gallia extinctionem spectabat, potestatis suæ limites excesisse. Igitur memorati 56 Episcopi titulares libellum ediderunt, quo de violenta titulorum suorum extinctione expostulabant, et speciatim contra concordatum et

articulos adjectos, atque contra Bullas et Brevia Pontificis protestabantur, suam tamen reverentiam erga R. Pont. ut supremum Ecclesiæ caput asserebant. Quorum plures præterea litteris ad Pontificem datis (1816) contestati sunt mentem suam semper ab omni schimate a S. Sede fuisse alienam. Eorum tamen occasione novæ divisiones in clero et populo exortæ sunt, unde prodiit schisma sic dictæ *Parvæ Ecclesiæ*, ab Andrea de Themines, olim Episcopo Blessensi concitatum. Huic etiam plures sacerdotes et laici adhæserunt, qui ipsius Pii VII communionem desseruerunt; sed eorum numerus continuò decrevit. De libris autem Blanchard, et temerariis epistolis presb. Gaschet nihil dicimus, cum absurdorum summa sint. Nemo enim dubitat supremam potestatis plenitudinem Ecclesiam moderandi apud Rom. Pont. esse; speciatim vero si gravissimæ rationes ut in hoc casu adsint.

Alia etiam plura Concordata cum diversis principibus Pius VII celebravit, quæ ejus pro Ecclesia sollicitudinem testantur. Etenim post suum e captivitate redditum nonnisi reparandis ecclesiarum damnis animum adjecit. Inter primarias autem ipsius curas *Societatis Jesu* restitutio numerari debet, quam die 7 Augusti an. 1814 sollemni Bulla instauravit: nam post ejus suppressionem a Clemente XIV factam multigena damna in missionibus præsertim et juventutis institutione experta sunt. Deinde iniquas leges tempore anarchiæ publicatas abolevit, vectigalia imminuit, sacras congregations restituit, societas occultas iterum proscripsit, atque inter hæc et alia præclara die 20 Augusti an. 1823 gloriosissimum Pontificatum 25 annis gestum felici morte consumavit.

Post hunc *Leo XII* Petri Cathedram ascendit, antea Card.

Annibal de la Genga, vir insignis pietatis, animi excelsi et probatæ prudentiæ, qui Decessoris sui prosequutus vestigia in id totus incubuit, ut una cum scientiis ingenuisque artibus religio ubique floreret. Is celeberrimam encyclicam ad omnes Orbis Episcopos scripsit, qua eos enixe contra duo graviora epochæ mala excitabat, indifferentismum scilicet religiosum, qui ad Deismum et materialismum recte ducit, et societas biblicas, quæ prætextu sacras Scripturas propagandi, verum ipsarum sensum diversimode corrumpunt. An. 1825 Jubilæum celebravit, injunctasque supplicationes, licet infirma semper usus valetudine, nudis pedibus obivit. Quod Jubilæum anno sequenti ad universum Orbem extensem, mirum est quanta populorum devotione, quantoque animarum lucro celebratum fuerit. Ejus vero labores adversus *societas occultas* omnes norunt. Ad religionem erigendam, instaurandamque disciplinam cum regibus Angliae et Hannoveræ, Bataviæque, cum principibus etiam societatis Germanicæ et aliis, conventiones confecit, nullisque pepercit laboribus, ut Ecclesiæ bonum promoveret. Consanguineitatis penitus oblitus, munia et ecclesiastica beneficia non nisi viris scientia et religione spectatissimis collata voluit; scientiarumque et liberalium artium studia strenue promovit. Obiit autem 4 Februarii 1829. Cujus elogium quidam scriptor his verbis comprehendit: *Leonis XII morte populus ingenti mærore affectus, illum benedicens laudabat, ut litterarum protectorem, patrem pauperum, integrum principem, indefessum facinorosorum persecutorem, zelatorem cultus, disciplinæque restauratorem.*

Successit pridie kalendas Aprilis Card. Franc. Xav. Castiglioni, Episcopus Tuscanus, qui *Pii VIII* nomen habuit. Hic celeberrimam encyclicam *Traditi humilitati nostræ de-*

dit, in qua amaré deplorat progressionem impietatis et societatum occultarum, contra quas Decessorum suorum decreta confirmat: queritur etiam de propagatione perversorum librorum, deque pravis doctrinis quibus adolescentes in multis gimnasiis et lyceis imbuuntur; hortaturque Episcopos, ut constanter istis malis obstent, clericorum institutioni invigilant, et sanctitati matrimonii consulentes populum christianum edoceant, illud non terrenis sed sacris rebus esse accessendum, ideoque Ecclesiæ legibus omnino subjici.

Graves simultates in Borusia de matrimonii mixtis exorta omni labore componere studuit. Praeceperat namque Guilielmus III rex, ut in hujusmodi matrimonii filii utriusque sexus in religione patris educarentur, simulque sacerdotibus interdixit, ne a personis matrimonia hujusmodi contracturis ullam exigerent super religiosa prolis institutione sponzionem. In magnas anxietates hæc res Episcopos et sacerdotes conjectit, cum ejusmodi conjugia divinæ et ecclesiasticæ regulis opposita probari non possint. Pius VIII ad Episcopos Brevem dedit 25 Martii 1850, rationem præscribens quam in causa matrimoniorum sequerentur. Pontificis litteris adjuncta erat instructio Card. Albani ad eamdem rem spectans; verum gubernium Apost. Sedis responsa secreta tenuit, et episcopis haud communicavit. Gregorius XVI cum Guilielmo IV tandem an. 1840 has difficultates composuit. Dum autem Pius VIII optima quæque a suis prædecessoribus constituta servare sarta tectaque curaret, ac majora pro Ecclesiæ bono moliretur, illum adversa semper usum valetudine præpopera mors eripuit pridie Kalendas Decembris 1850, cum omnes propter ejus eximiam (præser-tim sacrorum canonum) scientiam, magnamque in sacris

muneribus expediendis dexteritatem de ipsius Pontificatu maximam spem concepissent.

Brevi autem populi Romani luctus in lætitiam conversus est, electione Card. Mauri Cappellari summo consensu a Cardinalibus facta, qui *Gregorius XVI* appellari voluit. Etenim comperta omnibus erat eximia ejus scientia cum magna pietate et mira prudentia conjuncta, quapropter ad emergentes undique tempestates superandas aptissimus iudicabatur. Valde agitata tunc temporis universa Europa erat, recentis Gallicæ revolutionis causa, qua civile Galliarum regimen penitus immutatum est. Nam a Carolo X an. 1830 quibusdam decretis datis de reprimenda typographica licentia, et immutanda electionum forma, ingentes motus civiles Parisiis excitati sunt, et post cruentam trium dierum pugnam rebelles prævaluerunt; quos deinde reliquæ regni civitates sequutæ sunt. Consequenter Carolus X exaucoratus et e regno ejectus est, in cuius solium Lud. Philippus, Dux Aurelianensis ascendit. Hac vero revolutione societas occultæ vires resumpserunt; et illico in ipsa Italia, in Legationibus, commotiones populares non leves a *Carbonariis* excitatæ sunt. *Gregorius XVI* variis ad comprimentam seditionem mediis frustra tentatis, Austriacas copias in auxilium vocavit, quæ brevi rebelles in ordinem redegerunt, totoque deinceps hujus Pontificatus tempore pacem servari curarunt.

Tunc pace restituta sapientissimam dedit ad omnes Orbis Præsules encyclicam, qua maxime querebatur de novarum doctrinarum progressu, de licentia quælibet imprimendi et scribendi, atque de negligentia in negotio Religionis, deindeque antistites hortabatur, ut ad medendum his malis omnem vigilantiam adhiberent. Ipse autem fideli incolumitati

studiosissime prospiciens, doctrinam philosophico-politicam F. Lamennais reprobavit, opera Georgii Hermes condemnabit, erroresque Ab. Bautain proscripsit: simul vero litterarum et artium culturam impense fovit, et Universitates, seditione durante clausas, denuò aperuit, auxitque. Forum etiam Romanum multis impensis totum effodi et perlustrari jussit, et ita non pauca antiquitatis monumenta in lucem edita sunt. Præterea publicam rerum administrationem optimis legibus, quorum summa apud Alzog legitur, faciliorem et æquiorem fecit, aliaque plura præclara gessit, quæ Pontificatum ejus celeberrimum reddiderunt.

Ejus Pontificatu durante tetricimas persecuções Ecclesia toleravit. De Hispania mox dicemus. In Russia sub Nicolao I imp. multifarie catholici vexabantur, ibi enim dire tormentis et insidiis petiti fuerunt, ut schismati adhærerent, plures verberibus affecti, alii in Siberiam relegati; at ipsi omnia potius mala tolerare maluerunt, quam a fide catholica et Ecclesiæ unitate desciscere. Gregorius XVI mœstas fecit de istis persecutionibus querimonias cum Nicolao Russorum autocrate, cum hic Neapolim petens, Romam invisiendi Pontificis gratia diversatus est; tamque illius immitem animum emollivit, commovitque, ut lachrymas quoque ex ejus oculis expresserit, atque promissa exceperit, ne in posterum catholici tam dure in imperio Russico tractarentur. Interim nihil omissit eorum quæ munera sui erant, ad defendendam Ecclesiæ causam et levandas catholicorum indigentias, uti constat ex alloquutionibus, declarationibus, litterisque, quas iis de rebus habuit et edidit. Atque sic aptissime respondetur illis hominibus, qui hunc Papam, quasi de illorum catholicorum sorte indifferens fuisset, accusare non erubuerunt.

Obiit Gregorius XVI die 1 Junii anni 1846, cujus nomen jure meritò in Historia immortalem locum obtinebit. Ei successor fuit datus Joannes Maria Mastai-Ferretti, Cardinalis, Episcopus Imolæ, qui PIUS IX vocatur et hodie feliciter regnat. De isto vero ob nominis amplitudinem peculiaris debet pertractatio suscipi. Interim ex iis quæ breviter de statu Ecclesiæ in diversis Orbis partibus diximus, facile colligitur, quantas tribulationes et difficultates ipsa in hoc sæculo experta sit. Ex quibus etiam iterum habetur omnes Dei promissiones Ecclesiæ suæ factas ad Romanam, unitatis centrum, præcipue spectare. Cum enim acerrimi hostes jam de Pontificatu actum esse hac ætate cogitarent, miris modis effectit Dominus, ut *Petri Successorum* perpetua series non rumperetur. Hanc autem perpetuam Rom. Pontificum in Apostolica Sede successionem Sancti Patres tanti semper fecerunt, ut ex ea invictum deprompserint argumentum ad probandum contra haereticos, Ecclesiam Romanam esse veram Christi Ecclesiam, adversus quam conjuratæ portæ inferi prævalere numquam poterunt.

CAPUT XXVIII.

De rebus Hispanice sub Elisabetha II Regina.

Politicas Hispanorum inter se divisiones, cum spiritu religioso plerumque commixtas, superius innuimus. Mortuo vero Ferdinando VII anno 1833 majori acrimonia animi exarserunt. Nam iste, abolita lege salica, Elisabethan II, suam e Maria Christina filiam, regni hæredem, sub regimine et tutela matris, testamento constituit; vi autem legis salicæ Ferdinando succedebat Carolus princeps frater ejus, tunc temporis exul. Post regis obitum die 24 Octobris anni 1833 Elisabetha II Matriti fuit regina proclamata, et illico, cum minor ætate esset, Maria Christina nomine ejus regni gubernacula suscepit.

Princeps autem Carolus ægre ferens se testamento fratris jure solii inique expoliatum, illud armis vindicare sibi proposuit. Plurimi in dies ipsi adhæserunt, quorum numerus continuo augebatur, et brevi a pluribus civitatibus et provinciis Rex salutatus est, quare collecto exercitu jura sua forliter defendit. Igitur bellum civile in provinciis Vascis primum, deinde in Catalaunia, Valentia et alibi maximo ardore erupit, et septem integris annis continuatum est. Hujus infasti belli acerbitatem, iracundiam ac diversa fata non est hujus loci commemorare, cum præterea a testibus oculatis saepè audierimus. Bellum propter perfidiam et proditio nem belliducis Maroto anno 1839 terminavit, qui die 31 Augusti apud Vergaram conventionem cum Duce Espartero signavit, vi eius Carols V in Galliam confugere coactus fuit.

Interim, bello durante, luctuosos omnino et amaros dies hispanica Ecclesia toleravit. Nam Caroli causæ plerumque clerus, religiosi fratres, bonique omnes veteris traditionis studiosi, impense favebant, a quo religionis bonum, Ecclesiæque patrocinium jure sperari posse noverant, dum contrâ infensas Ecclesiæ dispositiones, vexationes &c. a Christianæ gubernio sentiebant. Christianæ vero omnes homines novis doctrinis imbuti, regiæ auctoritatis et religionis hostes, inquieti plerique et ambitiosi adhæserant, sub quibus proinde licentia et anarchia invaluerunt. Itaque variis modis Christianæ gubernium ab his hominibus directum in Episcopos et Clerum sœcularem et regularem invectum est. Et primo provisionem præbendarum et beneficiorum prohibuit, deinde omnes fere conventus suppressit, posteaque omnes religiosos ordines abolevit, et omnia bona Ecclesiastica, templorum gemmis et ornamenti non exceptis, fisco addidit, et vilivendidit. Episcopos præterea et clericos carcere, exilio, deportatione, et quandoque morte mulctavit, aliaque plura iniquissima perfecit, quæ omnibus comperta sunt. Atque in tanta rerum perturbatione plures Episcopi ad Sedes vacantes a regni regente nominati, spretis sacris canonibus, ecclesiarum administrationem sibi usurparunt.

Numquam sane tam tetris tempestatibus Ecclesia hispanica concussa fuerat, aut in tristiorum statum conjecta, etenim impiorum odium omni ratione in sacros ministros sæviebat. Inter maximos autem horrores *indefensorum religiosorum occissio* an 1834 recenseri debet. Cum enim Matriti et alibi atra pestis ignotæ indolis (*el colera*) grassaretur, rumorem infames homines sparserunt, fontes a Fratribus fuisse veneno infectas. Igitur populus ab ipsis in cæcum furorem actus, ferarum more, Jesuitarum domum primum, dêinde

Sti Francisci et Trinitariorum, hinc alias religiosas domos agressus est, et 72 innocentes Fratres crudeliter interfecit, aliosque plures graviter percussit, qui postea mortui sunt. Interim gubernium nihil aut fere nihil ad tales excessus prohibendos dispossuit, imo, inquit Lafuente, nec apparenter simulavit, aut publicæ vindictæ talium criminum punitione satisfecit. Eadem facinora et cædes anno sequenti Cæsaraugustæ patrata fuerunt, tum etiam Murciæ, Barcinonæ, ubi post religiosorum cædes conventus incensi sunt, Malacæ, Salmanticæ et alibi, ita ut priorum sæculorum persecutiones innovari viderentur.

Atque hic jam responsio patet ad illos homines qui clericum accusare non verentur, quasi nempe civile bellum ipse præcipue soverit. Nam ad summam indigentiam redactus, diversimode impetus et despectus, ac in vitæ discrimen continuò vocatus, mirum esse non debet, ut sibi prosponens, ad illam partem configueret, ubi tutus degere posset; mirum esse non debet ut Caroli V causæ impense favaret, a quo tantorum malorum medela, si vinceret, jure speranda erat; hoc inquam mirum esse non debet, nisi ve-
lint accusatores, ut clerici, ligatis manibus, velut oves ad occisionem seipso traderent. Cæterum bellum civile in multis provinciis jam acriter ardebat, atque illius causa præcipue persecutions in clericos, plerumque innocentes, commotæ sunt.

Licet autem pax per conventionem Vergaræ fuerit restituta, non ideo tamen Ecclesiæ conditio melior evasit. Nam *liberales* per id temporis jam in duas factiones divisi erant, quæ inter se nervose de dominatu decertabant. Seditione autem excitata anno 1840 *progresistas* rerum potiti sunt, atque Mariam Christinam regimine abdicare coegerunt (120c).

tobris) quæ a suis deserta Hispaniam absque honore reliquit. Tune regni regimen Duci D. Bald. Espartero demandatum est, quem si Historia Ecca qua meretur severitate judicaret, tetrī coloribus depingere deberet. Etenim mala religioni illata non reparavit, sed potius auxil; sub eo namque Episcopi fuerunt ejecti et in exilium missi, ita ut anuo 1841 vix decem Episcopi sedes suas occuparent, cæteris mortuis vel exilibus; *tribunal Rotæ* etiam ad quod negotia Ecclesiastica deferebantur, suppressit, et bona ecclesiastica cleri sæcularis vendi jussit. Cum adversus hæc Josephus Ramirez de Arellano Nuntii Apostolici vices in Hispania gerens protestatus esset, jussu gubernii e regno ejectus fuit.

Gregorius Pp. XVI summo dolore tanta mala in Hispania catholicæ religioni illata videbat, nihilque prætermisit, ut gubernium ad meliorem viam revocaret. In alloquutione præsertim die 1 Martii anni 1841 ad Cardinales habita, fortiter coram Deo adversus iniquam gubernii hispani agendi rationem protestatus est. Gubernium autem hac alloquutione plurimum offensus omni violentiarum genere ejus publicationi sese opposuit, et in clericos eam defendantes animadvertisit; deinde relationes cum Ap. Sede interruptæ sunt. Igitur in his rērum augustiis Pontifex litteras apostolicas ad omnes Orbis fideles dedit, quibus ob infelicem in Hispania religionis statum preces publicas commendavit indixitque, (1842) indulgentia plenaria in forma Jubilæi concessa. Tandem anno sequenti Ecclesiæ persecutores pœnas luerunt; nam magna rerum mutatione facta, Espartero a Statibus publicis et militia rejectus, in Angliam ut sibi consuleret fugit. Elisabetha II major atate declarata est, (Oct. 1844) tuncque Episcopi fuerunt revocati, Rotæ tribunal restitutum, aliaque disposita, quæ sortem Ecclesiæ hispanæ aliquantu-

Ium levarunt. Anno 1847 communicationes cum Ap. Sede tam sincera mente resumptæ sunt, ut anno sequenti militares copias in auxilium Pontificis Gubernium Hispanicum misserit, quæ cum Austriacis et Gallis junctæ, brevi Pium IX in throno suo reposuerunt. Præterea ad componendum, quantum fieri posset, Ecclesiæ statum, præteriorum temporum habita ratione, Concordatum amplissimum mense Martio 1851 inter Pium IX Pont. Max. et reginam Elisabeth II celebratum est.

Hujus Concordati præcipui articuli sunt: catholicæ religionis, qualibet alia exclusa, professio; amplissimæ facultates in juventutis publica institutione Episcopis concessæ; nova Diæceseon circumscriprio, et capitulorum compositio, et numerus; inmunitatum horum Capitulorum suppressio; clero ad congruam sustentationem certa assignatio a gubernio persolvenda: Seminariorum erexitio et a gubernio sustentatio; quorumdam Ordinum religiosorum restitutio; regulæ ad provisionem Præbendarum et Beneficiorum, alia que plura, quæ auctoritatem Episcoporum valde amplificabant. Addebatur præterea bonorum Ecclesiasticorum emptores numquam a Sede Apost. in illorum posessione inquietandos esse. Igitur vi hujus Concordati Ecclesiæ hispanicæ status plurimum compositus est, verum non multo post, in *celebri biennio* progresstæ dominationis, non paucas vexationes Ecclesia iterum tolerare debuit. Etenim tales sunt ejusmodi politici homines ut, nisi Ecclesiam diversimode opprimant, gubernare nesciant.

Cum hæc omnia sub oculis fere nostris evenerint, in illis fusius narrandis non insistimus, sed tantum hac levissima indicatione contenti sumus. Nec aliter facere potuimus, cum adhuc in vivis plures homines sint, de quibus loqui

deberemus, et quibus Historia Ecclesiastica nullo modo parcer potest. Alioquin frustra *magistra veritatis* historia diceatur, nisi res prout evenerunt, nulla personarum habita acceptance, narraret, cum aliunde veritas omni humana consideratione fortior sit. Unusquisque autem sine magno labore hujus epochæ certum judicium efformare potest, si in publicas tunc temporis ephemerides oculos conjiciat.

Atque ob eamdem rationem nihil dicimus de publica revolutione 29 Septembbris anni 1868, qua Elisabetha II e solio ejecta, omniaque in regno sus deque versa sunt. Funes-tissimos hujus subversionis effectus, mala quam plurima religioni et Ecclesiæ illata, regni decadentiam, et apud exter- ras Nationes despectum, œconomiæ publicæ ruinam, animorum in tranquillitatem, omnisque generis abussus, omnes hodie persentiunt et magnis clamoribus deplorant. Quod autem magis est, numquam usque adhuc Hispania protestantico cultu infesta fuerat, aut nostræ divinæ fidei sacra dogmata in dubium vocata, ne dicam ludibrio habita, quod jheu! in publico Deputatorum Congressu non semel evenit. Velit misericors Deus, ut hi amari dies super populum nostrum cito brevientur. (1)

(1) Cf. *Historia general de la Iglesia de España* a Rv. P. Raim. Buldu, duobus tomis, Hist. Ecc. B. de Henrion conjuncta, edit. Barcin. 1837, ubi fuse hujus epochæ res ecclesiasticæ exponuntur.—Lafuente vero toties citatus meliori criterio, etsi brevius, eadem pertractat. in sua *Historia Ecclesiastica de España*, o adiciones a la General por Alzog.—Barc. 1833.

CAPUT XXIX.

De Pio IX Pont. Max.

Universa Pontificatus historia, omniumque Pontificum præclara gesta non immerito in Pio IX collecta dicerentur. Quaquaversum enim ipse spectetur, talibus dotibus, tamque eximiis virtutibus ornatus fulget, ut omni prorsus admiratione et elogio dignus appareat; cuius nomen proinde et res insignes ab ipso perfectas amplissimis laudibus historia immortalitati commendabit. Qui præterea jactatissimum undique Pontificatum agens, præsentissimi auxilii, quo Deus Ecclesiam suam semper moderatur ac regit, inconcussum in seipso argumentum suppeditat.

Is Senoglaglia in Umbria die 15 Maji anni 1792 ex illustri Comitum Mastai-Ferreti familia natus est. Sacerdos factus eximia charitatis et mansuetudinis exempla in hospitiis puerorum indigentium dedit, et anno 1823 a Pio VII in Chilium missus magnam peritiam in negotiis illius Ecclesiæ expediendis ostendit. Quapropter Romam redux a Leone XII canonicatu donatus est, et paulo post Archiepiscopus Spoletinus ab eodem creatus, unde ad Sedem Imolæ an. 1832 transiit. Ob egregias autem dotes, virtutumque ornamenta inter Cardinales anno 1840 a Gregorio XVI cooptatus est: hoc vero mortuo, ad Petri Cathedram die 21 Junii anni 1846 summis Europæ totius acclamationibus ascendit, et *Pius IX* voluit appellari.

Pius vere pius actu valde laudabili Pontificatum suum exorsus est; amnestia scilicet generali politicis reis conces-

sa, vi cuius omnes rebellionis causa detenti e carceribus exierunt, exulesque redire permissi sunt. Omnes etiam obæs alienum sub custodia positos libertate donavit, debitis eorum prius ab ipso persolutis. Deinde probe noscens in quantis rerum ac temporum difficultatibus versaretur, nihil intentatum reliquit, tum ut Ecclesiæ bono prospiceret, tum ut Pontificiæ ditionis subditos bonis omnibus locupletaret. Et primo miranda Enciclica *Qui pluribus* ad omnes Orbis Episcopos scripta, rationalistarum artes detexit, societas secretas iterum damnavit, et præterea eos, ut adversus Communismi monstrum, et effrenatam loquendi scribendique licentiam in morum et fidei damnum, sese opponerent, vehementer hortatus est: et paulo post Jubilæum indixit. Aliis etiam litteris omnes a communione Sed. Ap. alienos impense sollicitavit, ut ad unitatem redirent. Præterea publicam rerum administrationem instauravit, judiciorum ordinem composuit, agriculturam, industriam, commercium promovit, pluribus dispositionibus constitutis, temporum adjunctis valde consonis. Musæa, gymnasia, universitates fundavit vel auxit, vias ferreas stravit, aliaque plura pro subditorum bono perfecit. Vetera etiam monumenta tanta cura colligenda aut reparanda curavit, ut ab archeologis *Antiquitatis vindex* fuerit appellatus.

His vero non obstantibus, maxima ingratitudine populi, a secretis sectis agitati, adversus tantum Pontificem seditionem moverunt. Plura enim a Pontifice exigebant, quæ ipse concedere non poterat, post *Statutum* jam ante concessum: quare arma capientes comitem Pellegrinum Rossi, Pii IX ministrum in ipsa Curia interfecerunt, et postridie (16 Nov. 1848) Pontificem in Quirinali palatio obsederunt, globulos igneos in eum mittentes, quorum percussione Joan-

nes Baptista Palma, Pont. Cubicularius cum aliis cecidit, ipse Pontifex in vitæ discrimen adductus est. Interim rebelles Romæ per omne fasque nefasque irruentes, rempublicam democraticam constituerunt, quæ per trium viros gubernaretur. Igitur Pontifex die 25 Novembris, non sine magno périculo, simulato habitu e palatio egressus, Cajetanum noctu aufugit, ubi a Ferdinando II rege benignissime exceptus fuit: brevique eum Oratores Nationum sequuti sunt. Tunc adversus violentias in illum à seditiosis commissas protestatus, ditionis ecclesiasticæ invasores excommunicavit, et catholicorum principum auxilium petuit. Galli, Hispani et Austriaci precibus Pontificis acquiescentes, rebelles in ordinem redegerunt, et Pontificii regni jus et dominium iterum Pio IX vindicarunt. Sed et populus Romanus, sectariorum jugo excusso, Pontificis redditum maximopere postulabat; quare ipse a regibus et belliducibus, honoris causa stipatus, die 12 Aprilis an. 1850 Romam ingressus est.

Post suum in Urbem redditum omni diligentia ad reparanda mala e revolutione exorta intendit. Deinde Ecclesiæ regimini totus incubuit, in quo præclara merita adeptus est. Et primo catholicis Hiberniæ magna egestate laborantibus subsidia contulit, pro quibus jam antea omnes Orbis Episcopos hortatus fuerat, ut eleemosynarum largitiones coligerent. In Anglia etiam, præcipua Protestantismi Sede, Ecclesiasticam hierarchiam restituit, anno 1850, ex quo tempore ibi catholicorum numerus valde crescit; quod ipsum pariter in Hollandia perfecit, an. 1853, petitiones illorum catholicarum benigne audiens. Fidei propagationi in longinquis regionibus summopere studuit, missiones fovit, atque inter alia piissimum opus *Sanctæ infantiae*, quod bono

Sinensium puerorum primum ipso auspice institutum est, valde commendavit et indulgentiis ac privilegiis ditavit. Taliā autem incrementa sub Pio IX catholica fides suscepit, ut centum triginta fere novi Episcopatus in diversis Orbis regionibus ab ipso erecti sint. Quinque etiam nova religiosa instituta approbavit, quod quidem in hac ætate impietatis et furoris in regulares Ordines valde mirum est.

Magnam præterea sollicitudinem pro recta clericorum institutione, ejus litteræ occasione controversiæ de usu ethnicorum scriptorum, ad Episcopos Galliæ die 21 Martii 1853 datæ testantur. In quibus præcipit, ut adolescentes clerici in Seminariis « humanioribus litteris, severioribusque disciplinis, potissimum sacris, ab omni prorsus cujusque erroris « periculo alieni ita diligenter imbuantur, ut non solum germanam dicendi, scribendique elegantiam, eloquentiam « tum ex sapientissimis Sanctorum Patrum operibus, tum ex « clarissimis ethnicis scriptoribus ab omni labore purgatis ad discere; verum etiam perfectam præcipue, solidamque « theologicarum doctrinarum, ecclesiasticæ historiæ et sacrorum canonum scientiam ex auctoribus ab Apostolica « Sede probatis depromptam consequi valeant.» Insuper novas philosophicas doctrinas, operaque nonnullorum scriptorum, quæ tuto legi non possunt, proscripsit.

Inter præclarissima vero ipsius Pontificatus gesta declaratio dogmatica de Immaculata B. Mariæ Virginis Conceptione præcipue eminet. Vix enim ad Petri Cathedram evectus Pius IX de hoc eximio privilegio B. Virgini vindicando, cuius præsentissimum auxilium non semel expertus fuerat, impense curavit. Hac de causa tum præstantissimis theologis, tum etiam peculiari Cardinalium Consilio commissit, ut quæ ad immaculatum Virginis conceptum pertinent, ac-

curato examine perpenderent, suamque sententiam scripto exponerent. Deinde die 2 Februarii 1849 litteras Cajeta dedit ad omnes Orbis Episcopos, ut quamprimum clare aper-teque significarent, quæ esset suorum fidelium de hac re sensus, et quid ipsi potissimum Episcopi de eodem Conceptu sen-tirent. Theologi consultores, argumentis perpensis, opportu-num fore affirmarunt, hoc Deiparæ insigne privilegium, ve-lut fidei dogma definiri. Sed et Episcopi sexenti et amplius responsa Romam misserunt, suam scilicet et proprii Cleri po-pulique singularem erga Deiparæ Immaculatam Concep-tionem pietatē testantes et confirmantes, simulque Ponti-ficem iteratis precibus rogantes, ut universalem credentium fidem de tanto Virginis privilegio quamprimum supremo suo et Apostolicæ Sedis judicio definire vellet. Præterea ducenti circiter Episcopi ex diversis Orbis partibus Romam per-venerunt, qui dogmaticum a Pio IX decretum postularunt. Quapropter Pontifex, omnibus mature perpensis, tandem die 8 Decembris 1854 sollemnem definitionem edidit; *Doc-trinam quæ tenet Beatissimam Virginem Mariam in primo ins-tanti suæ conceptionis fuisse singulari Omnipotentis Dei gratia et privilegio, intuitu meritorum Christi Jesu Salvatoris humani generis, ab omni originati labe præservatam immunem, esse a Deo revelatam, atque idcirco ab omnibus fidelibus firmiter constanterque credendam.* Quæ definitio Christifideles omnes cu-mulatissima lætitia replevit, ac propterea in omnibus Orbis partibus magno gaudio et festis celebrata est.

Nostris item diebus opportunum putamus, cleri catho-lici laudes a Pio IX factas recensere, in alloquutione die se-quenti coram Cardinalium Collegio et omnibus Episcopis habita, qua eis felicem ad suas Diæceses redditum precatus est. «Immortaliter quidem, inquit, gaudemus, Clerum catho-

«licum nihil prætermittere, nihil molestiarum defugere, ut officio suo ac muneri cumulatè satisfaciat: atque adeo non asperitate et longitudine itineris, non ullo incommodorum metu retardari, quominus regiones pertingat terrarum marisque tractu disjunctissimas, ut efferatas ibi gentes ad humanitatem, et christianaë legis disciplinam salubriter instituat: gaudemus pariter clerum ipsum in tetricima hac calamitate, quæ tot oppida, tot frequentissimas urbes funes tavit, adeo alacriter obivisse quælibet charitatis officia, ut vitam profundere ad salutem proximorum pulchrum sibi ac decorum existimaverit. Quo sane argumento magis constabit, catholica in Ecclesia, quæ unice vera est, inextinctum ardere pulcherrimum charitatis ignem, quem Christus venit mittere in terram, ut accendatur. Vidimus enim religiosas mulieres in adjuvandis ægris cum clero certasse, neque mortis aspectu fuisse deterritas, quam pleræque constantissime oppetiverunt; cuius inusitatæ fortitudinis exemplo illi ipsi obstupefacti admiratione sunt, qui a catholica fide dissentunt.» Quæ verba aptissima responsio esse possunt iis hominibus, qui Clerum tam acriter hac ætate nostra insectantur.

Præcipua vero Pio IX laus ex illo zelo debetur quo Rom. Pontificis potestatem temporalem maxima fortitudine, animique constantia defendit. Etenim omnes sciunt sacrilegas usurpationes a rege Sardiniae commissas, quibus *Italiæ regnum* constitutum est. Et primo flagitosi *Junioris Italiæ* sectarii anno 1859, junctis consiliis et armis cum Gallorum Imperatore, Longobardiam Francisco Josepho I Austriaco Imp. eripuerunt; deinde Parmensem et Mutinensem Ducatum atque magnum Hetruriaë Archiducatum Sardiniae regno adnexuerunt. Postea in Pontificia ditione tumultu excita-

to Pedemontii milites Bononiam, Ravennam et Perusiam occuparunt, quas illico Sardiniae rex extorto populari suffragio sibi vindicavit. Sed ad defendendum Pontificem multi ex diversis Nationibus viri venerunt, ut inter ejus milites adscriberentur, quorum moderatio Gallo belliduci Lamori- ciere demandata est. Gubernium autem subalpinum innumeras militum copias, absque prævia belli declaratione, in territorium Pontificium immissit: atque belliduces Pedemontani Fanti et Cialdini, infami proditione usi, Pontificias cohortes in insidias perductas, 12 Martii 1860 apud Castelfidardo fuderunt, quo facto Legationes et Umbriæ provinciæ Pontifici ereptæ sunt. Sicque Pontifex majori ditionis suæ parte privatus fuit. Quod vero magis lugendum est omnes fe- re Europæ Nationes, Hispania non excepta, has sacrilegas usurpationes, approbarunt, et prætensum *Italiæ regnum* tam iniqua ratione formatum, recognoverunt. Tot autem perfidiæ et hostilitatis argumenta expertus est Pius IX post iteratæ Imperatoris Gallorum pollicitationes, se numquam Apost. Sedis defensioni defuturum. Immo etiam adhuc scelesti sectarii machinari non cessant, insidiis, proditionibus, ar- mis, ut ipsam urbem Romam Pontifici eripiant.

His vero omnibus iniquitatibus Pius IX fortiter sese op- posuit, adversus eas et omnes actus regis Italiae dicti iteratò protestatus est, ac demum omnes injustos Ecclesiæ patrimo- nii occupatores anathemate perculit. Deinde in Encyclica ad omnes Orbis episcopos data fortiter proclamavit, quod— singulari prorsus divinæ providentiae consilio factum sit, ut Ro- manus Pontifex.... civilem assequeretur principatum.... seque civilem Rom. Ecce. principatum, ejusque temporales possessio- nes ac jura, quæ ad universum catholicum orbem pertinent, integra et violata constanter tueri, et servare velle: immo Sanctæ

Sedis principatus, Beatique Petri patrimonii tutelam ad omnes catholicos pertinere; paratunque esse animam potius ponere, quam hanc Dei, Ecclesiae et justitiae causam ullo modo deserere. Universi etiam Orbis episcopi flagitiosorum hominum molitionibus restiterunt, easque detestarunt, tum Epistolis ad Pontificem, tum pastoralibus ad proprios fideles datis. Hic vero totius Orbis in Apostolicæ Sedis juribus tuendis consensus magis patuit sacro Pentecostes die anni 1862, quo ipsi, occasione cœlestis honoris SS. Martyr. Japonensis decernendi, Romæ collecti sollemnem acclamationem ab omnibus subscriptam Pio IX obtulerunt; civilem, scilicet, Sanctæ Sedis principatum, ceu quiddam necessarium, ac providente Deo manifeste institutum agnoscimus; nec declarare dubitamus, in præsenti rerum humanarum statu, ipsum hunc principatum civilem pro bono ac libero Eccœ. animarumve regimine omnino requiri. Oportebat sane totius Ecclesiae caput Romanum Pontificem nulli Principi esse subjectum, imo nullius hospitem; sed in proprio dominio ac regno sedentem suimet juris esse, et in nobili, tranquilla et alma libertate catholicam fidem tueri ac propugnare; totamque regere ac gubernare christianam rem publicam. Præterea dicente Pontifice, se animam potius velle ponere, quam hanc Dei causam deserere, Episcopi plaudentes responderunt se etiam paratos esse cum ipso et ad carcerem et ad mortem ire. Quod opportunum monere duximus, eo quod haec quæstio valde nostris diebus agitata sit. Nec solum Episcopi, sed etiam fideles suum erga Rom. Pont. potestatem temporalem obsequium et reverentiam sua agendi ratione ostenderunt. Nam ob iniquam regni sui excommunicationem Pontificium ærarium ad magnam penuriam redactum est, quamobrem fideles omni studio copiosas elemosinas Pio IX obtulerunt, et quotidie offerunt, (pecuniam

divi Petri dictas) ut ejus angustiis occurrant; quod quidem non modico solatio Pontificis animum affecit.

Interminabile esset omnia Pii IX præclara merita singillatim enumerare. Omnes sciunt quanta cura et sollicitudine laboraverit, ut infelicem catholicorum sortem in Hibernia, Polonia, Turcia et alibi levaret. Neminem etiam fugit ejus studium missiones fovendi et promovendi, tum præterea ipsius indefessa sollicitudo, ut ecclesiasticam rem in diversis regionibus componeret, ut plurima Concordata cum principibus inita testantur. Denique ejus zelum, labores, sapientiam innumeræ fere Encyclicæ, Bullæ, Alloquutiones ostendunt, ex quibus præcipue in illa *Quanta cura* die 8 Dec. 1864 data, et *Syllabo* eidem adjuncto, omnes omnino recentes errores aperte deteguntur, damnanturque. Pluribus præterea Sanctis cælestes honores decrevit; et Jubilæi beneficium pluries concessit.

Insuper sub Pio IX ter universi Orbis Episcopi Romam convenerunt tam ingenti multitudine, ut frequentiorum Conciliorum numerum adæquarent, scilicet 200 circiter ad dogmaticam Conceptionis B. V. M. declarationem, 510 ad Canonizationem Martyrum Japonensium anno 1862, atque 400 et amplius ad *sæcularem diem* Divi Petri an 1867 celebrandum: quæ quidem Episcoporum erga ipsum devotione, maximum Pio IX decus assert, magnumque argumentum Ecclesiæ unitatis suppeditat. Utque nihil gloriosissimæ tanti Pontificis coronæ desiceret, Concilium Æcumenicum an. 1868 indixit, ad quod omnes etiam a catholica fide et communione dissentientes, sollicite et peramanter vocavit. Quod Concilium die 8 Decembris hujus anni 1869 inaugurari debet, a quo multa bona absque dubio sperare debemus. *Fa-*
xit Omnipotens Deus, ut istud Vaticanum Concilium tantorum

malorum, quibus Ecclesia et societas laborant, aptissima medela sit!

Interim quod initio hujus capitatis diximus verum appareat, universam scilicet Pontificatus historiam, omniumque Pontificum præclara gesta in uno Pio IX collecta reperiri. (1)

Atque jam pulcherrimam sane Ecclesiæ historiam absolventes, de ejus divinitate, inter tot contradictiones probata, securi, ipsius præclarum triumphum ita canimus, quæ tot hostium certamina vicit:

Ergo age, sancta Sion, Excelsi sponsa Tonantis,
Religio dulcis, genuit quam sanguine Christus,
Terribilemque choris furibundæ effecit abyssi.
Ergo age, et invictæ conquassans calce ferinas
Serpentis veteris soboles, quæ vertice flammas
Anhelante, solo tentat tua vertere regna,
Cinge triumphali demum tua tempora lauro.

En meat augusto solio subnixa columnis
Numinis immensi, aut manibus; dumque impia turba
Opprobio tristi per sæcula cuncta tegetur,
Religio regina potens hac fulmen et illac
Vibrans errorem perimet, super atque ruinis
Concinet æternum radiis amicta triumphum.

(Rius: *De vera relig.*)

O. S. C. S. R. E.

LAUS DEO.

(1) Cf. Wonters, op. citat. in app.—Card. Matheu loc. cit. etc.

INTRODUCTIO IN HISTORIAM ECCLESIASTICAM.

§ I.

Historia generatim definitur: Narratio fidedigna et ordinata factorum memorabilium, quorum notitia hominum utilitati aut moralitati conferre potest. Facta vocantur a philosophis res quae sunt vel fiunt. Notitia factorum dicitur cognitio historica; eaque est vel vulgaris, si tantum aliquorum factorum series cognoscatur, vel philosophica aut pragmatica, si præterea deprehendantur eorum nexus, causæ, effectus &c.

Cum Historia ad perfectionem hominis ordinetur, primum est inferre, illa tantum esse ejus objectum, ex quibus homo aliquam moralitatem aut utilitatem deducere potest.

Cognitio historica præcipue habetur: I ex observatione et propria experientia: II ex testimonio scriptorum fide dignorum; III ex monumentis facta testantibus. Hæc et similia dicuntur *fontes Historiæ*, quibus ars *Critices* auctoritatem, roburque præbet.

Dividitur historia ratione objecti in *Sacram* et *Prophanam*. Hæc non solum originem, incrementa, vicissitudines, vitam denique societatum et populorum, vel potius totius humanitatis, complectitur, sed etiam de omnibus fere vitæ re-

bus pertractat. Ita habetur historia *litterarum, scientiarum, artium, commercii &c.* ac proinde tot sunt possibles Historiæ prophanae divisiones, quo possibilis sunt diversæ factorum species. Præterea historia potest esse *Universalis, Generalis, aut Particularis*, prout majorem vel minorem eventuum et objectorum numerum comprehendendat.

Ratione formæ dispescitur etiam in

Chronica, sive narrationes ordinatas alicujus epochæ, regii dominatus etc. ordinem temporum accurate servantes, quamvis nonnullæ res prætermittantur:

Annales sive historias per annos minutatim scriptas:

Decades, relationes eventuum decem annorum;

Memoriales, seu accuratas annotationes rerum, quatenus præsertim ad certas personas referuntur:

Fastus, in quibus aliquæ res separatim dicuntur. Libri erant in quibus veteres Romani Magistratus ludos publicos, festa, victorias, aliaque Reipublicæ fata signabant.

Est denique Historia *Genealogica*, si alicujus familiæ, *Biographica* si alicujus personæ gesta pertractanda suscipiat; ac *Monographica* si particularem eventum per partes enarrat, v. g. Americæ detectionem, Independentiæ bellum.

Ratione temporis historia dividitur in *antiquam, medium, et recentiorem*.

Antiqua a creatione hominis (quæcumque demum sit de antiquitate et origine mundi opinio) protrahitur usque ad finem Imperii Occidentis an. 476 æræ christianæ.

Media abhinc usque ad destructionem Imperii Græci an. 1453, vel usque ad Americæ inventionem an. 1492.

Recentior ab his epochis ad nostram usque ætatem pervenit. Atque etiam hæ historiæ divisiones *aetates* nuncupantur, eo quod, iis durantibus, genus humanum quamdam uniformem

mitatem morum, rituum, civilizatiouis etc. exhibuerit, quæ posterioribus sæculis sensim mutata est, eodem fere modo ac homo alias in pueritia, alias in adolescentia, alias in virili ætate inclinationes habet.

Periodus est certum temporis spatium inter duas epochas vel eventus insignes comprehensi.

Epocha dicitur duratio quædam ob aliquod insigne factum celebris, quod sua magnitudine se præstat, aliorumque factorum est initium et quasi clavis: vel etiam celebre quoddam tempus ad quod memoriae causa cætera referuntur; quemadmodum in mappis geographicis ad certas civitates celebriores alia loca minus illustria referri solent.

Æra terminus a quo enumerari incipiunt anni alicujus populi vel Nationis. Harum præcipuae sunt:

1.^a *Æra Olympiadum* a ludis Olympicis circensibus Græciæ celebratis, quæ ab illis incipit in quibus victor exitit Coræbus anno ante Christum 776.

2.^a *Nabonassaris* ab anno 747 a. J. C., quo ipse Babiloniæ solium ascendit.

3.^a *Romanorum* ab Urbe Roma condita 753 ante J. C., quæ communissima et celeberrima est.

4.^a *Alexandrina*, dicta etiam *Seleucidarum* vel *Græcorum*, aut *contractuum*, qua libri Machabæorum utuntur, incipitque a Seleuco Nicatore, Babiloniæ rege, anno 512 ante J. C.

5.^a *Æra christiana* sive *vulgaris*, qua jam omnes fere Orbis populi utuntur, a Nativitate Domini nostri Jesu-Christi, anno 753 Urbis conditæ Varronianæ inchoata. Monendum vero est hanc æram sex annis vero J. C. anno natali, juxta certiorem opinionem, (Palma, cap. I.) posterioren esse.

Mahumetani vero et plures Orientales populi annos suos

numerant ab *Hegira* sive fuga Mahometis in Medinam anno 622 nostræ æræ.

Omnes autem cultæ Nationes, et magis probati scriptores velut communem Historiæ mensuram, regulamque temporis dividendo aptiorem, natalem Domini nostri Jesu Christi habent: ac proinde annis ante J. C. res anteriores, annis vero post J. C. res posteriores historicas ordinant, numerantque. Et sane nulla alia epocha aptior excogitari potest aut notabilior, eo quod multis ante ejus adventum sæculis plures populi jam Jesum Christum expectarent. Jesus Christus præterea maximam in universo mundo mutationem perfecit, in moribus, actibus, judiciis, opinionibus, omnesque gentes in eadem fide et charitate collegit; ac demum divina ipsius apparitio maximum et insignius Historiæ totius factum proculdubio est.

§ II.

Historia *Geographiam* et *Chronologiam* præcipuas auxiliares habet, sine quibus nec scribi ipsa nec doceri potest: jure proinde a Bacone *oculos Historiæ* vocatas. Chronologiam præterea ipse *clavem* historiæ esse dixit. Quapropter qui historiam discere cupit, has prius scientias callere debet. Etenim nisi probe deprehendatur *ubi* et *quando* historica facta evenerint, nullo modo distincte cognosci et aestimari queunt, præterquamquod eventus, tempore, loco et cæteris adjunctis citatis, credibiliores evadunt.

Geographia illa scientia est, quæ terram describit, limites nationum designat, urbium situm, populorumque positionem docet. Mores item diversarum gentium, habitus, religionem, culturam, monumenta, cæteraque in regionibus notatu digna pertractat.

*Chronologia temporis divisionem et mensuram pro objec-
to habet. Hæc cum Astronomia arcte conjungitur; quapropter
non semel hujus ope temporum rationes compertæ sunt,
v. g. per Eclipsium concursus, Lunæ phases etc. Præterea
ad tempora comperienda auctores coævi, inscriptiones,
nummismata, æra, monumenta et alia hujusmodi consu-
lenda sunt.*

Communiores temporis divisiones sunt; *Ævum*, quod est mille annorum duratio; *Sæculum*, sive spatium centum annorum, *Lustrum* quinque, *Olimpias*, quatuor annorum summa. Sed Ecclesiasticæ datae plerumque per *Indictiones* numerantur, quæ quindecim annos comprehendunt.

§ III.

Altera etiam scientia Historiæ studio maxime necessaria *Critica* est, quæ definiri potest: *Ars veritatem historicam com-
periendi*. Etenim in Historia duo scopuli sunt accurate vi-
tandi, nimia scilicet credulitas, et immoderata dubitandi li-
bido. Critica autem de monumentis, seu fontibus, et testi-
moniis tum scriptis, tum non scriptis judicat; quis sit eorum
auctor, quæ ætas, quam fidem testes faciant, an documenta
sint genuina, vel supposititia vel interpolata, aliaque plura
quibus veritas est investiganda atque sectanda. Ad rectum
vero critices usum sequentes regulæ præcipue observandæ
sunt.

I. Non licet a testimonio veterum scriptorum recedere,
nisi graves rationes adsint.

II. Documentum historicum, quod veteres repudiarunt,
apocryphum et falsum æstimandum est, nisi perspicue
probetur contrarium.

III. Liber in quo citantur personæ, facta, vel adjuncta, auctoris ætate posteriora, spurius dicendus est.

IV. Testimonium vel factum quod cum chronologia certa, vel aliis eventibus historice certis, aut cum temporis ritibus, moribus aliisve adjunctis pugnat et conciliari nequit, commentitium habendum est.

V Merito suspecta est narratio scriptoris posterioris, si æquales vel suppare omnes, alioqui exacti et diligentes, de re sileant, quam propter celebritatem scire debuissent. Argumentum vero negativum ex silentio deductum nihil vallet, nisi scriptor talem eventum præcise narrare debuerit.

VI Testes rem quam narrant scivisse æstimantur, si ejus fuerint auctores vel consiliarii, vel ei præsentes fuerint, vel notitiam acceperint ab ejusdem auctoribus, consiliariis aut testibus oculatis vel auritis, vel vixerint loco et tempore cognoscendæ rei opportunis.

VII Assertio testis vel scriptoris qui factum novisse æstimatur, habetur sincera, quamdiu e rationibus sufficientibus non vocetur in dubium. Rationes præcipue hic perpendendæ, sunt affectiones amoris, odii, adulacionis, exaggerationis genius, studia religionis, sectæ, patriæ etc.

VIII In dissensu testimoniū, cæteris paribus, præferri debent coævi posterioribus, domestici extraneis, publici privatis, probi, docti et graves iis, qui is dotibus carent. Si testes varient vel sibi contradicant circa facti adjuncta, finem, causam, moralitatem, non ideo ipsum factum censendum est confictum: standum vero est testimonio plurimorum.

Plures alias regulas scriptores tradunt, sed dictæ recte observatæ sufficienes sunt, ut de historicis narrationibus opportunum judicium efformari possit.

§ IV.

Historia Ecclesiastica definitur; *Narratio fide digna et ordinata factorum memorabilium, quæ Ecclesiae catholicæ vitam in omnibus sæculis patefaciunt*. Dicitur *fide digna*, qua rerum eventus e monumentis et testimoniis authenticis atque idoneis, sine præconceptis opinionibus et partium studio referuntur; *ordinatae*, qua eventuum series ita texitur, ut eorum causæ, sequelæ et exitus ordine distincto inter se consocientur; *rerum memorabilium*, nam e multitudine rerum in Ecclesia gestarum illæ exhibentur, quæ ad ejus statum immutandum maxime contulerunt, et e quibus illius constitutio melius cognosci valet. Unde ipsius origo, propagatio et conservatio, vicissitudines, fata prospera vel adversa, varius ejus status sive interior sive exterior materiam historiæ ecclesiastice constituunt. Potest autem esse vel *Universalis* si omnes Ecclesiae catholicæ vicissitudines narret, vel *Particularis* si tantum ad certam epocham, hæresem, Pontificatum, vel Ecclesiam privatam v. g. Hispaniam, referatur.

Fontes historiæ Ecclesiastice alii sunt *divini* ut libri Sacrae Scripturæ Sp. Sancto inspirante conscripti, alii *humani* ut cætera documenta. Rursus fontes *publici* vocantur illa monumenta, quæ ab integra aliqua societate composita sunt, vel quæ a privatis confecta, ab Ecclesia postea fuerunt probata, ex. gr. acta Conciliorum, Epistolæ Synodales, decreta Pontificum, martyrum acta etc. *privati* vero dicuntur illi fontes, qui a privatis dumtaxat motu proprio confecti sunt, v. g. epistolæ aliaque scripta privatorum hominum. Tum etiam fontes *scripti* sunt illi, qui litteris signisve facta exhibent, ut sunt scripta quævis, hyeroglyphica, monogramma-

ta: *non scripti*, ut templa, mausolæa, statuæ, numismata, sigilla, item traditiones non scriptæ. In traditionibus autem ecclesiasticis diligenter considerandum est, utrum per incultam tantum plebem, an vero per Ecclesiæ doctores et præpositos propagatae fuerint. Ex his omnibus igitur Historiæ Ecclesiastice narratio ordinatur.

Atque jam istius historiæ addiscendæ summa utilitas, immo necessitas, apparet. Et in primis ad Ecclesiæ divinitatem ostendendam ex ipsius mira historia argumenta perspicua deduci possunt, spectata ejus origine, miraculosa inter tot difficultates propagatione, perpetuaque et indefectibili conservatione, non obstantibus tantorum hostium conatibus, quod quidem sine præsentissimo Dei auxilio et favore evenire non potuit. Unde fideles ex Historia ecclesiastica magis ac magis quotidie in Ecclesia amanda et defendenda confirmantur, alii vero ab ejus gremio alieni ipsam facilime cognoscere possunt, velut unicam veram Christi Ecclesiam a Domino fundatam, et ab Apostolis continua successione propagatam. Quare non semel evenit, ut plures hæretici aut infideles, post ejus historiam lectam, ad Ecclesiæ fidem conversi sint.

Per eam præterea Ecclesiæ fides perspicue dignoscitur semper eadem, semper integra atque intemerata, hæreticorum novitatibus præscribens; disciplinæ etiam sanctitas et sapientia, sed juxta temporum et locorum adjuncta prudens varietas; errorum fidei adversantium diversa forma, et hæreticorum cavillationes et anfractus; eorumque proscriptio, et argumenta, quibus novitates fuerunt profligatae. Atque adversus eos, qui ab humanis additamentis, quorum accusant catholicos, Religionem christianam purgandam et pristiniori restituendam clamitant, Historia Ecclesiastica invicta

demonstrat, Ecclesiam omnibus sæculis eamdem omni doctrinam, a Christo et Apostolis acceptam, invariabili ratione professam esse.

Insuper hæc scientia ad Ecclesiam ab hostibus defendendam et vindicandam, maxime necessaria est. Et quidem nemo ignorat, quantum nostris temporibus Ecclesiæ hostes Hist. Eccœ factis vel exaggeratis, vel corruptis abusi sint. Etenim, inquit Palma, «eō spectant homines male animati, ut historiæ auctoritas, cuius monumenta ad Ecclesiam ornandam plurimum opportuna et gravia sunt, ad eam virtutem perandam et columnis afficiendam convertatur.» Quapropter necesse est ad inimicos refellendos ex ejus monumentis armæ depromere.

Et quidem ex Historia omnes Ecclesiasticæ scientiæ lumen et argumenta mutuantur. Ac in primis Theologia, illius ope, sacrorum dogmatum evolutionem, constantem Ecclesiæ traditionem, Conciliorum definitiones, aliaque argumenta discit. Unde maxime in ornando et juvando Theologo Historiæ Ecclesiasticæ utilitas et necessitas conspiciuntur, utpote quæ singulas S. Theolog. partes mire illustrari; adeo ut doctissimus Melchior Canus jure dixerit, *theologorum quemquam Historiæ Ecclesiasticæ ignarum, theologi nomine, immerito gloriari.*

Deinde Sacrarum Scripturarum interpreti Ecclesiæ traditionem de SS. librorum numero authentia et canonica auctoritate, versionum originem et fata, legitimum interpretandi magisterium, regulasque hermeneuticas exhibet. Aī acquirendam vero Patrum notitiam, seu illam theologiae partem in qua agitur de vita, scriptis et doctrina Patrum, maximum subsidium historia Ecclesiastica offert. Hæc cognoscere magni interest theologo, cum Patres morum, institu-

torum et doctrinæ veteris Ecclesiæ locupletissimi testes sint.

Similiter in morali et pastorali theologia haud insimum locum hæc scientia obtinet. Docet enim qua ratione quavis ætate ethices christianæ præcepta fuerint exercita, qua methodo tradita; quæ fuerint moralis corruptionis præcipuae causæ, quæ instaurandæ disciplinæ rationes initæ. Denique juris ecclesiastici notio, quæcumque fuerit, sine historiæ Ecclæ notitia mutila erit. Hac qui caruerit, regiminis ecclesiastici formam, applicationem et cum civili jure relationem haud percipiet; juris tam antiqui quam novi originem, indolem et fata ignorabit: ipsaque juris ecclesiastici fontium (qui post S. Scripturam sunt traditio, Patrum sententia, Pontificum et Conciliorum decreta) notione carebit.

Demum, ut alia præteream, historia Ecclesiastica omnibus vitæ sancte instituendæ exempla et hortamenta exhibet innumera, nam regulas morum ordinat, sanctorum exempla et virtutes imitari proponit, martyrum fortitudinem docet, nihilque omittit, ut beatam sortem eorum, qui Religionem Christianam fideliter servarunt, laudet, amabilemque reddat; dum contrà multiplicia mala eorum, qui ab illa alieni fuerunt, aut eorum nomine falso maleque gloriati sunt, verissimis coloribus pingit, ut cæteros ab iis sectandis deterreat. Quapropter qui clericali militiæ adscribi volunt, omni animo et cura historiæ Ecclesiastice studio incumbere debent.

Hæc sunt autem præcipuae historiæ Ecclesiastice epochæ:

I. Continens res gestas a Nativitate Domini nostri Jesu Christi usque ad conversionem Constantini Magni, an. 312
Æ. V, vel usque ad conc. Nicænum I anno 325.

II. A conversione Constantini usque ad mortem Caroli Magni an. 814.

III. A Carolo M. usque ad initia reformationis Lutheri anno 1517, vel melius usque ad Conc. Tridentinum. anno 1545.

IV. A Concilio Tridentino ad nostram usque etatem.

Historia Ecclesiastica debet esse *Critica*, quæ veritatem accurate discernat et narret; *Religiosa*, quæ hominis sanctificationem promoveat, *Philosophica*, quæ non solum factorum seriem, sed etiam eorum nexum, causas, influxum perspicue exponat.

§ V.

Est nunc breviter exponendum, juxta H. G. Wouters, qualis esset Orbis status, cum Salvator noster, Messias, quem omnes ab initio mundi gentes secundum Dei promissa expectabant, in mundum advenit.

« Qualis porro mundi status religiosus et moralis ad Christi Messiae adventum!!! Communem populorum depravationem tum religiosam tum moralem, testantur eorum annales. Graecorum et Romanorum religio non tantum polytheismo, sed vel maxime vitiis. quae diis suis adscribabant, erat foedata; et non in virtutis studio, quum ipsos deos vitiis indulgere crederent, sed in quibusdam ritibus, præcipue in sacrificiis consistebat.

« Caeterorum etiam populorum religiones falsis absurdisque conceptibus de natura et voluntate deorum, de futura hominum post mortem sorte, deque aliis erant depravatae. « Tantus fuit error, ait Cicero, ut perniciosis etiam rebus non modo deorum nomen tribueretur, sed etiam sacra constituerentur. » Philosophi ipsi inter Graecos et Romanos, qui sañioribus de Deo rebusque divinis conceptibus studebant,

«veritatem erroribus multis morumque honestati adversis
«permiscebant, suisque sententiis inter se pugnantibus et
«vivendi ratione populorum impietatem, nefandos ritus,
«pravosque mores favebant. «*Quoties quisque philosopho-
rum invenitur*, inquit idem Cicero, *qui est ita animo et vita
constitutus, ut ratio postulat? qui obtemperare ipse sibi et de-
cretis suis pareat?* Videre licet tanta levitate et jactatione, iis
«ut fuerit non didicisse melius; alias pecuniae cupidos, gloriae
«anonnullos, multos libidinum servos; ut cum eorum vita mira-
«biliter pugnet oratio.»

«Neque laetus erat Judaeorum status religiosus et mora-
lis. II ipsi Religionem humanis inventis multum deforma-
rant. Quae deformatio a sectis religiosis, post instauratio-
nem civitatis inter illos, ortis, descendit. Praecipuae sectae
«erant Pharisaeorum, Sadducaeorum et Essenorum. Phari-
«saei legem superfluis absurdisque traditionibus enervabant;
«religionem in externo Dei cultu potissimum ponebant;
«Messiam expectabant non tanquam animarum liberatorem,
«sed tanquam heroem, qui Judaeorum gentem potentissi-
«mam et felicissimam in orbe terrarum redderet; morum
«praecepta veramque virtutem parvi pendentes, vitiis in-
«dulgebant. Sadducaeai omnem traditionem religiosam rej-
«ciebant; ss. Scripturarum litterae inhaerebant; angelorum
«existentiam animarum immortalitatem et corporum resur-
«rectionem negabant; quibus opinionibus agendi rationem
«conformantes, potius malas vitiorum sequelas quam ipsa
«vitia evitare studebant. Esseni austeriori vitae disciplina
«ab aliis se secernebant, repudiato manuum labore contem-
«plationi et orationi vacabant, sed falsis opinionibus non
«carebant.

Quum ergo apud Judaeos et apud ethnicos religio ac

«mores essent corrupti, necesse omnino erat generi huma-
no, ut promissus Redemptor tandem inter homines com-
pareret, Religionem hactenus revelatam perficeret, et ins-
titutum, quo perfecta ad omnes gentes propagaretur et in-
tegra conservaretur, introduceret. Praeterea divina pro-
videntia effectum erat, ut rerum adjuncta novae Religioni
introducendae et propagandae essent opportuna. Quam
plurimi enim ingentem morum corruptelam sentiebant,
eorumque emendationem desiderabant; omnes fere popu-
li cultiores sub uno imperio erant conjuncti, unde multi-
plex inter eos commercium atque liber transitus; linguae
graeca et latina per omnes Imperii romani provincias pro-
pagatae; pax atque securitas interna. Quae cum ita essent
comparata, et tempus, quo veniret promissus Redemptor,
a prophetis praedictum, adisset, coaeternus et consubs-
tantialis Deo Patri Filius in terras descendit, humanam na-
turam assumpsit, et redemptionis opus auspicatus est.» (1)

(1) Wouters, in introductione, &

INDEX CAPITUM.

EX SÆCULO XVI.

CAPUT.	PAG.
I De protestantismi propagatione	7
II De Inquisitionis tribunal	16
III De Ordinibus religiosis	31
IV De Michaele Bajo ejusque systemate	41
V De Controversiis <i>de Auxiliis</i>	49
VI De Rom. Pontificibus, qui post Conc. Trid. sæc XVI Ecclesiæ præfuerunt.	61
VII De rebus ad Hispaniam pertinentibus.	75

EX SÆCULO XVII.

CAPUT.	PAG.
VIII De Ecclesiæ statu sæc. XVII.	87
IX De politicis vicissitudinibus.	97
X De bello trintinta annorum et pace Wesphalica	107
XI De ortu et progressu Jansenianæ hæ- resis	119
XII De aliis hujus sæculi hæreticis.	135
XIII De Missionibus catholicis et ritibus Si- nensibus.	145
XIV De Rom. Pontificibus sæc. XVII.	161
XV De Cleri Gallicani declaracione anno 1682, et de libertatibus Ecclesiæ Gallicanæ.	179
XVI De Hispaniæ fatis sæc. XVII.	190

EX SÆCULO XVIII.

XVII	Universalis Ecclesiæ conspectus sæculo XVIII.	204
XVIII	De bello successionis in Hispaniarum regnum.	210
XIX	De litibus jansenianis, Constitutione <i>Unigenitus</i> et schismate Ultrajectino.	217
XX	De Societatibns secretis	228
XXI	De extinctione <i>Societatis Jesu</i>	234
XXII	De Galliarum revolutione.	244
XXIII	Le RR. Pontificibus sæc. XVIII.	250

EX SÆCULO XIX.

XXIV	Universalis Eccæ. conspectus sæculo XIX ineunte.	260
XXV	De Napoleone Imperatore.	265
XXVI	De bello ab Hispanis contra Napoleo- nem sustentato, et statu Eccæ hisp. sæc. XIX.	271
XXVII	De Romanis Pontificibus.	280
XXVIII	De rebus Hispaniæ sub Elisabetha II regina.	289
XXIX	De Pio IX Pont. Maximo.	295
—	Introducio in Hist. Eccam.	305

ADVERTENCIA.

Esta obra cuesta 16 rs. en rústica y 20 en pasta holandesa franca de porte. Todos los Sres. Secretarios de los Seminarios y Profesores de Historia Eclesiástica quedan autorizados para hacer desde luego los pedidos que gusten, sea en comision ó en venta. A todos los que tomen 10 ejemplares se dará uno mas gratis ó se rebajará un 10 por 100 á su elección.

Los pedidos y toda la correspondencia á nombre de D. Niceto Alonso Perujo, Presbítero Vice-rector del Seminario de Logroño.

OBRAS DEL MISMO AUTOR.

Las Flores de la vida y la Reina de las Flores, estudio filosófico-teológico sobre el culto de la Santísima Virgen María en el mes de Mayo considerado en su significado, su belleza, su influencia sobre la sociedad y sus relaciones con las creencias y sentimientos cristianos.

Un tomo de mas de 500 páginas, edición de lujo 16 rs. en rústica.

Programma lectionum quæ in secundo sacræ theologiæ curriculo traduntur.—4 rs.

PARA PUBLICARSE.

DE ESCLAVA A REINA

Ó LA

HORCA DE MARDOQUEO.

NOVELA HISTORICA-BIBLICA

SOBRE EL ARGUMENTO DEL LIBRO DE ESTHER.

Se publicará por entregas á un cuartillo de real cada una en toda España. Se reciben ya suscripciones, aunque se anunciará oportunamente por medio de prospectos.